CORPORIS
INTEGRI ROBVSTI ET PROCERI
PRIVILEGIVM

EX IVRE ROM· IMPERII PVBL· ET SAXONICO

PRAESIDE

CHRISTOPH· LVDOV· CRELLIO
I: V· D· IVRIS NAT· ET GENTIVM ITEMQ· POET
PROF· PVBL· ORD

IN AVDITORIO ICTORVM

DEFENDET

CAROLVS GOTTLOB STOERMER

DRESDENSIS

VITEMBERGAE D· DEC· A· Q· S· P· cIↄIↄcc XXX

EX OFFICINA IO· CHRISTIANI GERDESII

I

EX QVIBVS REBVS IVRA ET OFFICIA NASCANTVR

GErmani quidem IVS NON IN VIRIBVS HABEMVS, neque, quid debeatur nobis, CORPORIS modulo metimur. Illa criminatione POMPONIVS MELA (a) uſus eſt in majores noſtros. Sed bonitas ipſorum, etiam ab hoſtibus ſubinde prædicata, (b) legumque ſapientiſſima praecepta, accommodata ad uſum vitae, illorumque temporum neceſſitati conuenientia, judiciorum ſeueritas, magisque probi mores, (c) quibus patrum noſtrorum memoria olim immortalitati commendata eſt, diluunt illam accuſationem, atque infirmant. Non ſum, qui mentiar in gratiam gentis noſtræ. Diu eſt, ex quo moderationis laude GERMANI præſtiterunt. Sed, remota ambitione, brutorum ipſos legibus non uixiſſe exiſtimo. Horum ingenio conuenit, obtemperare libidini: quicquid uiſum fuerit, exſequi, & tueri: nihil, niſi quod per imbecillitatem non liceat, cupiditatibus negare: nemini cedere, niſi quem uincere non poſſint. Homines regi rationibus, rerumque argumentis duci, certiſſimum eſt: quae non patiuntur, ut temere, utque incontinenter, rem geramus; ſed ut potentiores debiliorum miſeratione commoueantur, poſtulant: utque cum officii cogitatione in ſocietatibus uerſemur, communibus commodis ſa-

(a) POMPONIVS MELA, *de ſitu Orbis.* lib. III. c. III. (b) it. loco citat
(c) TACITVS *de mor: Germ:* cap: XIX.

ueamus, adjutoresque ſimus, ne quid publice, aut priuatim, detrimenti accipiatur. Quae quanquam ita ſunt in promtu, ut res diſputatione non egeat; tamen auſim affirmare, nullo nos aut OFFICIO regi, aut IVRIBVS uti poſſe, quae non propter *uirium noſtrarum rationem*, conſtituta ſint, atque in ſocietates humanas introducta. Quandoquidem enim nulla aut Jura, aut officii præcepta, conjuncta naturae, firma atque ſtabilia ſunt, quæ non a ſuprema quadam poteſtate, maximique atque immortalis Dei uoluntate, atque imperio, proficiſcantur: cujus decreta pleniſſima ſunt ſapientiae, & in nos amoris; conſequens eſt, neque OFFICII nobis ullius neceſſitatem imponi, ad quod exſequendum non ſuppetant VIRIVM quaedam COPIAE, atque facultates: nec IVRA concedi, niſi quibus propter INDIGENTIAM, & VIRIVM DEBILITATEM, tuto carere non poſſimus. In quibus rebus, tantum abeſt, ut poſſit eſſe quaedam dubitatio; ut potius IVRA, atque poteſtatem exigendae opis alienae, ſemper cum imbecillitatibus & indigentia, OFFICIVM uero cum uirtute quadam, & agendi facultate, conjunctiſſima eſſe cenſeamus, atque ita haec inter ſe connexa arbitremur, ut nonſolum IVS ſine *inopia* utentium, & OFFICIVM ſine *uiribus* illorum, qui illo officio tenentur, nullum eſſe poſſit; ſed etiam ubicunque noſtrum aliquis re quadam, ex Dei immortalis uoluntate, & praeceptis, uere indigeat, continuo exinde IVRA quaedam naſcantur; contra cum primum ipſi uiribus quibusdam abundamus, illa copia OFFICIVM pariat, jubeatque omnia, quae nobis uſui eſſe non poſſunt, ad communia commoda, & ſocietatis incrementa, afferre, infirmioribus ſuccurrere, omnium, quantum in nobis eſt, utilitati & ſaluti conſulere. Enimuero, & ſuperuacuum, atque iniquum eſt, permittere aliis, ut *jure ſuo* poſtulent illa, quorum ipſi non indigeant; & durum atque affine crudelitati, *officia* cuidam mandare, quibus perſoluendis debilitas ejus atque infirmitas eſſe impedimento intelligatur. Vnde cognoſcitur, ex IMBECILLITATIBVS IVRA, ex VIRTVTE vero, & uirium copiis, OFFICIA, quaſi ex certis quibusdam fontibus, eſſe de-

ri-

riuanda: atque hoc uerborum uſu accepto, conueniens eſt naturæ, IVS HOMINEM IN VIRIBVS HABERE

II

DEBILITATIS PRIVILEGIVM IVRE MILITARI ROMANORVM

QVAPROPTER pleniſſima miſerationis, quae cuique tribuuntur, IVRA eſſe oportet; cum naturalis ratio doceat, indulgere aliquid, atque ſubinde cedere, potentiores infirmioribus: & tanto pluribus quemlibet beneficiis augere, atque confirmare, quanto minus ſuis neceſſitatibus ipſe ſufficiat, quantoque pluribus incommodis, atque difficultatibus opprimatur. Cujus imbecillitatis, atque inopiae, ex quibus Jura quaedam, & poſtulandae miſericordiae facultas, oriuntur, cum uaria ſint genera atque inter ſe diuerſa: atque alia ad *animi* languorem pertineat, alia *corporis* uitium contineat; de INCOMMODIS CORPORIS, ex quibus IVRA ATQVE PRIVILEGIA naſcuntur, explicemus; cum haec illis, quae animum afficiunt, magis luculenta ſint, magisque in omnium oculos incurrant. Audiamus magiſtram aequitatis & officii, rempublicam Romanam, quae, quamuis dignitati & uirtuti corporis mirifice faueret; tamen uidetur non minorem INFIRMITATIS, quam ROBORIS, & neruorum, rationem habuiſſe. VETERANORVM adeo PRIVILEGIA, uirtute, multorum annorum patientia, pertinacia in laboribus, uirium contentione incredibili, a ualentioribus quaerenda, etiam illis attributa ſunt, quos ualetudo, ne diutius in armis uerſarentur, prohibuit: praecepitque *L. VIII. §. 5. D. de Excuſat.* MODESTINVS, milites excuſari, ſi honeſte fuerint abſoluti, uel, propter AEGRITVDINEM, cauſſariam remiſſionem acceperint. Et quamuis MACER non nihil inter cauſſariam, & honeſtam, miſſionem, cum quis VITIO animi uel CORPORIS minus idoneus militiæ renunciatur, intereſſe cenſeat, *l. XIII. §. 3. D. de re milit;* tamen etiam cauſſariam, non eſſe inhoneſtam, affirmauit. Praeterea cum

Germanici, Caesaris, edictum *l. IV. §. 13. D. de re militari*, militem etiam illum, desertorem agnoscat, qui diu a castris aberrauerit: illumque praesto esse, & jussa exspectare, conueniat; tamen ARRIVS MENANDER *l. IV. §. 14. & 15. D. de Re mil.* leuius emansionis, quam desertionis, delictum habuit, responditque: examinandas semper caussas esse emansionis, & cur, aut ubi, fuerit miles, & quid egerit? darique ueniam VALETVDINI, & parentum affectioni: contra in INTEGROS & ROBVSTOS esse seuerius animaduertendum. Quapropter etiam Tribunorum officio contineri uoluit MACER ICtus, *l. XII. §. 2. f. D. de R. mil.* ut frequenter principiis intersint, querelas commilitonum audiant, VALETVDINARIOS inspiciant, dentque operam, ne quid committatur, quod alienum sit a sensu misericordiae, atque humanitatis. Imo uero, si FESTVM (a) & PAVLLVM sequimur auctores; illi milites, qui OPTIONES dicebantur, ideo maxime constituti sunt, quia naturae conueniebat, dari Centurionibus, inprimis ualetudine oppressis, adjutores quosdam a Tribunis militum, quos ipsi optarent, & rebus suis praeficerent, ut tanto rectius rei publicae officia obire possent: de quibus TARRVNTENVS PATERNVS *l. VI. D. de Iure Immunitatis*, & VLPIANVS *l. VI. de bonis damnat.* exposuerunt

III

DEBILITATIS PRIVILEGIVM IN CAVSSIS PAGANORVM CIVILIBVS

HAEC *militibus*, VALETVDINIS miseratione, concessa: nec minora tamen, propter INFIRMITATEM CORPVSCVLI, hominibus paganis. Idem, quem adduximus, TARRVNTENVS *l. VI. D. de Jure Immun.* quibusdam aliis, ut sunt mensores, VALETVDINARII, medici, aliquam uacationem munerum grauiorum, ex sua conditione, tribuit: inprimis, ne durius cum illis egisse uideatur, quos ipsa rerum natura satis afflixerat. A Camelasia etiam, quae corporis ministerio obeunda sit, nulla

(a) Fest: Voc. Optio, Cujacius VI obseru: 33. Raevardus, Conj. III. c. 14

nulla quemquam, nisi sola LAESI & INVTILIS CORPORIS, excusatione, atque INFIRMITATE, liberari ARCADIVS CHARISIVS *l. XVIII §. 11. D. de Mun.* permittit. Eadem ratio in imponenda aliorum ciuilium munerum necessitate obtinuit. Neque enim dissentit *l. II. §. 7. D. de Vacat.* VLPIANVS; sed illum, quem Praeses senio, & CORPORIS IMBECILLITATE, ita uexari animaduerteret, ut muneri perferendae pecuniae non sufficiat, dimittendum esse arbitratur. Praetor idem etiam in Judicibus deligendis cogitauit, &, teste VLPIANO, *l. XIII. pr. D. de Vacat.* quoscunque intelligit operam dare non posse adjudicandum, illos se excusaturum pollicetur, forte, quod in eam VALETVDINEM inciderint, ut certum sit, eos ciuilia munera subire non posse: aut si morbo alio laborauerint, ut nequeant suis rebus superesse. Et quamuis *l. II. D. de Vac.* VLPIANVS *corporis debilitatem* eorum tantum munerum, quae corpore implenda sunt, excusationem praestare censeat, atque adeo a sua sententia quodammodo ipse diuertisse uideatur; tamen postea agnouit, etiam illa, quae magis consilio prudentis uiri, quam ROBORE VIRIVM perficiantur, sine *integritate* corporis obiri non posse. Qua de caussa & ipse Jureconsultis, ob VALETVDINEM, judicandi officium *l. XIII. pr. eod. tit.* remisit, & usus est in illa re maximo Prudentium consensu. Neque enim ipsi Imperatores ab illo discedunt; sed caecum GORDIANVS, auriculari morbo affectum DIOCLETIANVS, idem etiam pedum ualetudine afflictum, uacatione uti personalium munerum *leg. I. II. III. Cod. qui morbo*, permiserunt. Ne quis illa de solo corporis ministerio dicta esse existimet, audiamus de Tutela Jureconsultos. Ab illo officio, quamuis prudentia & consilio colatur, atque administretur, excusat ADVERSA VALETVDO. Ita enim MODESTINVS *l. X. §. 8. D. de excus.* praecepit, habuitque TRYPHONIANVM *L. XLV. §. 4. D. de excus.* consentientem; qui necessitati succumbendum, & *libertum* etiam a tutela absoluen-

uendum esse existimauit, si tanta *corporis* aut mentis *ualetudine*, ut, ne suis quidem necessitatibus sufficiat, ab agendis rebus prohibeatur. Imo vero benignior est PAVLLVS, qui ne sua cuiquam facilitas, & in accipiendis muneribus bonitas, fraudi esse possit, prospexit: & *L. XI. D. de Excusat.* VALETVDINARIVM etiam a suscepto munere tutelae dimisit. Habes VALETVDINIS PRIVILEGIVM. Sed periculum erat, ne, quod propter miserationem erat constitutum, in occasionem fraudis traherent, &, simulatione infirmitatis, onera curae alienae etiam integri atque robusti subterfugerent, suaeque desidiae ualetudinis excusationem obtenderent: Maxime, cum uix inueniri possent, qui muneribus ciuilibus adhiberentur, si nemo integer, & sanus, dicendus esset, qui qualicunque corporis incommodo perturbaretur. Quibusdam enim, quod ait Comicus, *cum febribus fides*, & *amicitia est; quandocunque visum est*, *pallent*, *valent*, *animam agitant.* Occurrit fraudi MODESTINVS, *l. X. §. 8. de Excusat.* illamque tantum VALETVDINEM defendit, quae impedimento est, quo minus quis suis rebus defungatur: Additque ex VLPIANO *l. XII. pr. eod. tit.* solere VALETVDINARIOS uel ad tempus, uel ad perpetuum, excusari, pro ualetudinis modo, qua quisque afficitur. Quibus rebus permoti Imperatores *l. un. C. qui morbo se excusant*, tutelae, seu curae, uacationem illos habere jubent, qui VALETVDINE perpetua tenentur. Praeterea certissimum de infirmitate ex aetate judicium est. Ea de caussa non solum tenerae aetati parcitur; sed auctore VLPIANO *l. II. §. 7. D. de Vacat.* etiam qui SENIO, & corporis imbecillitate, uexati sunt, aetatis priuilegio defenduntur. Rationem CALLISTATVS *l. V. pr. D. de Jure Immun.* subjecit, quod semper in illa ciuitate SENECTVS uenerabilis fuerit. Nam majores pene eundem honorem senibus, quam magistratibus, tribuebant. Circa munera quoque ciuilia idem honor senectuti tribuitur. Hactenus CALLISTRATVS. Ne tamen a sola reuerentia ortam

tam esse illam benignitatem legum existimes, sed ut ipsos propter VIRIVM IMBECILLITATEM uti aetatis priuilegio intelligatur; mox addit idem Jureconsultus: Si non tam CORPORIS uexationem habeat, quam pecuniae erogationem indicti muneris administratio; dici posse, SENEM non eximi ab hoc onere, priuilegio aetatis, si locuples factus fuerit, & nullo publico munere perfunctus.

Vix attinet monere, quod PRIVILEGIVM VALETVDINIS, quo pater usus est, ad filium pertinere non possit: Neque ego illud adducerem, nisi DIOCLETIANVS *l. IV. C. qui morbo* se ex illud monendum censuisset: Casus, inquit, corporis patris, munerum personalium filio jure non praestat excusationem. Habes verba Imperatoris. Quaeris rationem? Noli illam ex *l. I. D. §. 2. de Const. Princ.* quod faciunt multi, repetere. Illi enim oppido falluntur. VLPIANVS, dicta lege, de CONSTITVTIONIBVS PERSONALIBVS praecipit, quas non uult egredi personam. Haec male ad CONSTITVTIONES SPECIALES, seu PRIVILEGIA Juris Civilis, in quorum numerum PRIVILEGIVM VALETVDINIS recte retuleris, accommodantur. Haec enim jura, docente eodem VLPIANO, *l. VIII. D. de LL.* non in singulas personas, sed generaliter, constituuntur: aut, in certum ordinem personarum. Vix igitur juris priuilegia ex *l. I. de Const. Princ.* recte interpretaberis. Sed certissimum est Juris praeceptum, illa, quae propter svi corporis habitum, & conditionem, cuique tribuuntur, ad heredes non extendi. Corporis enim nulla est hereditas, sed ex sua quisque sorte miserationem meretur, non jure hereditatis. Hinc aperte PAVLVS *Leg. LXVIII. D. de reg. jur.* quod, ubi personae conditio locum facit beneficio, ibi, deficiente ea, deficere etiam beneficium intelligatur

IIII

PRIVILEGIVM VALETVDINIS IVRE CRIMINALI ROMANORVM

VIDES, durius tractari VALENTIORES: liberalius, atque commodius, INFIRMOS. Illos ad officium adigi, hos foueri & defendi. Subit mirari, etiam in QVAESTIONIBVS, etiam in POENIS irrogandis, esse aliquam VALETVDINIS PRAEROGATIVAM. Accipe PAVLLI verba: Vnius, inquit, facinoris rei, ita audiendi sunt, ut ab eo primum incipiatur, qui TIMIDIOR est, vel TENERAE AETATIS L. VIII. pr. *D. de quaestion:* Igitur, si hunc ordinem sequaris, leuius, & incuriosius, de debilibus, & infirmis, haberi quaestionem intelligis. Prius audiuntur, quam proditi sunt a sociis; prius, quam ab illis, qui consortes furtis & maleficiis fuerunt, in suspicionem grauiorem nouo indicio adducti. Contra, quos aetas, uel natura, fortius muniuerit, partim doloribus illorum, de quibus ante ipsos quaesitum est, frangi, necesse est, partim lubricitate & confessione sociorum, in majus periculum adduci. Hoc durum poterat uideri; sed illud durius, quod idem PAVLLVS l. XVIII. §. 1. D. *de quaest.* etiam REPETI posse in quaestionem reos, grauioribus argumentis oppressos, censeat, maxime, si in tormenta animum & CORPVS DVRAVERINT. Praeterea & de illo, qui quatuordecim annis minor est, in caput alterius quaestionem non habendam Diuus Pius rescripsit L. XV. §. 1. D. *de quaest.* Facilius igitur corporibus teneris & affectis parcitur, quam integris & robustis. Parum dissentit, auctore Diuo Hadriano, CALLISTRATVS. Illos enim, qui terminos finium caussa positos propulerunt, jubet in tempus, VT CVIVSQVE PATIATVR AETAS, relegari: id est, si IVVENIOR in longius, si senior in recisius L. II. D. *de term. moto.* Qua re uideri possunt debiles & infirmi, etiam cum deliquerunt, quadam misericor-

ricordia defendi. Maxime, cum accedat ad illam partem MODESTINVS, qui L. XXII. D. *de poenis*, in metallum, inquit, damnati, si VALETVDINE, aut aetatis infirmitate, inutiles operi faciendo deprehendantur, ex rescripto Diui Pii, a Praeside dimitti poterunt, qui aestimabit de illis dimittendis; si modo uel cognatos, uel affines, habeant, & non minus decem annis poena sua fuerint persuncti. Exposui difficultatem. Dicam, quid reponi possit. Noli enim existimare, quemquam, solo corporis priuilegio, ueniam, aut impunitatem quaesiuisse. Id ne cuiquam in mentem ueniat, occurrit VLPIANVS, qui L. V. §. 2. D. *de poenis* delicta consilio aestimanda esse, non corpore metienda, praecipit. Necessitati igitur potius obtemperasse, quae mitius de corporibus affectis statuerunt, leges, quam debilitati corporis fauisse, credendum est. Neque enim sufficiunt iisdem doloribus, atque incommodis, VALETVDINARII, & senes, quae a juuenibus & ROBVSTIS sine magna difficultate perferuntur. Praeterea, etiam in ipso corpore, satis habent supplicii. Igitur non tam legis beneficio, quam a natura, in poenis irrogandis, & quaestionibus habendis, aliquid laxamenti acceperunt. Neque enim tenerae aetatis homines, ex Lege XVIII. D. *de quaest.* nec timidi, propter VALETVDINIS miserationem, prius, quam fortes & robusti, audiuntur; sed propter illam rationem, forte, quia impatientia dolorum aegrius uera dissimulant: & Judici sunt adjumento, ut facilius deinceps possit ab utrisque poenas exigere. Haec igitur odio delicti, non fauore ualetudinis, constituuntur. Non obstabit nobis PAVLLVS l. VIII. D. *de quaest.* Quae enim de repetendis in quaestionem reis ROBVSTIORIBVS disputauit, non eo pertinent, quod suum quenquam ROBVR in inuidiam possit adducere; Sed, quod asperiori remedio aduersus illum utendum uideatur, qui cum delicto etiam aliam fraudem

conjunxerit, corpusque in tormenta INDVRAVERIT, ut judicis ſolertiam fruſtraretur.

Ita etiam excuſamus ALEMANNOS, qui VALETVDINIS habuiſſe in defendendis reis rationem uideri poſſunt. Ferebat illorum temporum ſuperſtitio, ut poſſet quasdam reus accuſationes armis, & uirtute pugnandi, diluere. Sed Paralyticus, aut morbo articulorum adfectus, per alium pugnabat: Campioni mercedem pugnae, ſuo nomine ſuſceptae, ſemiſſem bonorum dabat. Ita IVS PROVINCIALE ALEMANNORVM cap. LX. praecepit. Mos ille etiam alias gentes infecerat. SICVLI Sexagenariis, & minoribus, per procuratorem pugnandi facultatem tribuerunt. (a) Vnde euenit, ut quam alii ſua uirtute, ſuis laboribus, quaerebant palmam, illi deſides virtute aliorum inuenirent. SAXONES etiam CLAVDIS procuratores ad pugnam, VVLNERATIS laxamentum temporis dederunt. Aperte de illa cauſſa uetus auctor Speculi exponit: LR. Lib. I. Art. 48. Lahme Leute ſollen auch klagen / und antworten / ohne Vormunden / es ſey denn Sach / daß die Klag zu Kampf gehe; da ſoll ihr Vormund ſeyn ihr ebenburtiger Schwert-Freund / wer er ſey / der es allein thun will. mag der lahme Mann ſeines rechten Vormunden nicht gehaben / er gewinnet zu Vormunden / wer es vor ihn thun will / oder wen er dazu mit Geld gewinnen mag. De uulneratis alio loco LR. I. 49. Spricht ein gewundter Mann den zu Kampf an / der ihn gewundet hat / und mag er von Unkrafft ſeines Leibes den Kampf nicht vollbringen und hat er keinen Vormunden / man ſoll ihm Tage dingen / biß er ſeinen Kampf ſelbſt vollbringen und enden möge. Sed non ceſſerunt noſtris, in debiles, & corpore affectos, indulgentia

SICV-

(a) Leg. Sic. L. II. tit. 37. l. IV. in Lindenbrogii Cod. LL. Ant. p. 781. Et qui aetatis annum ſexageſimum tetigerint, & qui nondum uiginti quinque annorum curriculum impleuerint, per ſe pugnare non teneantur, ſed poſſint ad defenſionem ſuam ſubjicere campionem, ne illae aetates, in altera frigeſcente naturali calore, in altera juuenilium uirtutum robore nondum impleto, incerto judicio relinquantur.

SICVLI (a) qui integrum & robuſtum, cum miſero & infirmo congreſſurum, eosdem artus, quibus alter naturae uitio captus eſt, in pugna debilitare, aut certe uinculis quibusdam obligare, & corporis uitium arte imitari, coegerunt: ne cujusquam imbecillitas alterius robore, & uirium integritate, opprimatur. Quae omnia qui recte exiſtimat, illi non poteſt eſſe obſcurum, non tam faueri reorum incommodis, aut corporis debilitati beneficium tribui, quam neceſſitati naturae potius aliquid concedi. Enim uero, cum ſederet animis praua ſuperſtitio, poſſe, in re dubia, judicium immortalis Dei armis, & uirtute depugnantium, explorari; conſequens erat, cum integris, integros, debiles, cum infirmis, eſſe committendos. Sed de his erit deinceps locus dicendi

V

FORTIORA SVNT EX ROBORE ET COPIIS VIRIVM QVAM EX IMBECILLITATE PRIVILEGIA IVRE NATVRALI

Ex HIS REBVS, quae hactenus diſputata ſunt, id tamen intelligitur, bene agi cum nobis omnibus: nullius neceſſitati, ſi recte res adminiſtretur, quidquam deeſſe: quicquid natura uirium negauerit, illud legis indulgentia ſuppleri: quo plura deficiant, tanto plura poſſe ab aliis expoſci, atque IVRE quodam NOSTRO exſpectari: haec omnia & naturae conuenire, & ſanciri ciuilibus praeceptis. Sed dicta de illis juribus intelligenda ſunt, ſine quibus ferri ſors humana, atque tolerari, omnino non poteſt; aut quae uidentur a MISERATIONE

 potius,

(a) Is fauor defenſionis eſt, ut ſi, qui pugna impetitur ſit aliqua parte corporis debilitatus, alter ſe etiam debilitare teneatur, in eadem parte, uelut ſi unum tantum oculum habeat impetitus, is, qui offert, aliquot diebus ante, illum oculum appoſito aliquo ſibi claudat, in quo pati dignoſcitur accuſatus; Similiter etiam in digitis, & membris aliis, hoc uolumus obtinere, juxta proborum uirorum conſilium & prouidam diſcretionem judicantium.

potius, quam a FAVORE LEGIS, proficiſci. Enimuero cum neceſſitati ſubueniendum ſit, neque optimi legislatoris bonitas permittat, ut cuiquam deſit aliquid, quod ad utilitatem ejus, & commoda, ſine injuria reliquorum, afferri poſſit; apparet, in his rebus magis indulgendum eſſe IMBECILLITATI, quam VIRTVTI: & infirmioribus tanto magis conſuli debere, quanto minus VALENTIORES indigeant opis alienae. Sed alia ratio ineunda eſt, cum de illis IVRIBVS quaeritur, quibus uires noſtrae ad rem feliciter gerendam, communesque neceſſitates procurandas, ad ſuſcipienda pro ſalute uniuerſorum facinora, ad juuandam, amplificandamque rempublicam, finguntur, atque accommodantur. Qua in cauſſa nulla eſt dubitatio, tanto pluribus quemque ornandum eſſe beneficiis, quanto magis quilibet ad res gerendas uidetur ab ipſa natura eſſe comparatus. Quapropter, cum melius de his ſperemus, quos, etiam ſine arte, ualere, mentisque uiribus, & egregio quodam ſpiritu, animari intelligimus: cumque praeterea ſciamus, ſi ad naturam eximiam, atque excellentem, acceſſerit ratio quaedam, confirmatioque artis, & honorum, atque fortunarum, tum ſolere aliquid praeclarum atque omnino egregium enaſci; praeferimus illos, qui naturae quodam habitu inſignes ſunt, his, qui ipſis uiribus ſuis, & debilitate neruorum, a ſtudio uirtutis, & rerum agendarum auocantur: illosque augemus priuilegiis, & exiſtimamus, rectius ibi magna beneficia collocari, plusque commodi ab ipſis exſpectari, quam a debilioribus, quamuis maximo ſtudio, & contentione, adjuuarentur. Cui rei uidetur illud obſtare, quod ſupra a nobis diſputatum eſt, IVRA & priuilegia ex cujusque INDIGENTIA enaſci, COPIAS vero VIRIVM, & excellentiorem uirtutem, eſſe cum OBLIGATIONE, quam dicunt, conjunctas, officiorumque quaſi fontem exiſtimari. Sed facile iſti dubitationi occurritur, ſi cogitamus, tanto pluribus quemlibet uiribus & copiis indigere, quanto majora

jora

jora sunt illa, quibus gerendis, perficiendisque, ipse animum accommodat; &, quamuis VIRIVM ABVNDANTIA OFFICIVM pariat, tamen etiam ex ipsis OFFICIIS susceptis quaedam IVRA enasci, atque aliquam exigendae opis alienae facultatem. Qui ipsa infirmitate a suscipiendis negotiis prohibentur, facilius sibi consulunt. Natura non adeo multa desiderat: & tanto paucioribus contenta est, quanto magis exigua sunt illa, quibus perficiendis destinatur. Quanquam igitur sine indigentia nullum nobis jus, aut facultas quicquam postulandi, tribuitur; tamen, qui ab ipsa natura liberalius instructi sunt, digniores habentur illis juribus, quae naturae uires augent, atque perficiunt: aut QVIBVS, tanquam MEDIIS quibusdam, AD COLENDA OFFICIA, indigemus. Hinc major principum potestas, quam priuatorum; ampliores possessiones, munimenta fortiora, praesidia, reditus, copiae atque facultates, quarum usus est in republica regenda; quibus tuto carent illi, atque excludi debent, qui prouidentia & imperio aliorum defenduntur

VI

PRIVILEGIA IMBECILLITATIS PROPTER SOLAM NECESSITATEM CONSTITVTA SVNT IVRE CIVILI ROMANORVM

ILLVM ordinem beneficiorum, naturali ratione constitutum, uidemus diligenter ipsis ciuilibus legibus seruatum. Ex quibus intelligitur, jura, quae infirmioribus concessa sunt, non ideo ipsis tributa esse, ut praeferantur valentioribus, aut uti ipsis faueatur; sed ut dolorem isti suum patientius perferant: & ne, dum curae alienae cogantur uacare, suis necessitatibus succumbant. Quapropter, quae ipsis debentur, beneficia cum sensu quodam incommodi, & miseriae, conjunguntur. Si uacat, eamus per exempla. CALLISTRATVS L. V. pr. D. *de jure immunit.* munera remit-

tit

tit fenioribus, BENEFICIO AETATIS. Sed ut intelligatur, JCtum non tam fauiffe imbecillitati, quam neceffitati paruiffe; non omnes, fed locupletes duntaxat, ab illis eximit: nec ab omnibus uidelicet, fed ab illis, quae magis corporis habeant uexationem. PAVLLVS furdos, & mutos, fi omnino non audiant, nec loquantur, ab honoribus quidem ciuilibus, *l. VII. D. de Decur.* non etiam a muneribus excufat. Alterum enim imbecillitas prohibebat, alterum etiam a uitiofis poterat praeftari. Haec ratio induxit VLPIANVM L. II. D. *de Vacat.* ut fenio & imbecillitate uexatos, ab illo tantum munere, quod ex utilitate reipublicae adminiftrare non poterant, quodque corpore erat obeundum, dimitteret: ceterum, ab illis, quae confilio prudentis uiri, uel patrimonio impleri poffint, neminem nifi ex receptis *probabilibus* cauffis abfoluendum, refponderet. Sed uideamus, quid opponi poffit MODESTINO? quem & ipfum benignius DE INFIRMITATE fenfiffe, fupra eft a nobis indicatum. Cenfebat enim, milites, etiam illos, qui propter AEGRITVDINEM forte CAVSSARIAM remiffionem acceperint, HONESTE MISSOS uideri, l. VIII. §. 5. *D. de Excuf.* Sed caue exiftimes, HONORES & praemia cuiquam propter AEGRITVDINEM tributa. Obftat enim *Lege XIII. de R. Mil.* MACER JCtus, qui aliam MISSIONEM HONESTAM, tempore militiae impleto, aliam CAVSSARIAM effe, ex corporis uel animi uitio, aliam IGNOMINIOSAM, propter delictum, interpretatur. Neque uero uidetur effe inter MACRVM & MODESTINVM diffenfio. Hic d. L. VIII. D. *de Excuf.* MISSIONEM HONESTAM ab IGNOMINIOSA duntaxat, qua quis propter delictum facramento foluitur, fejungit: idque ex ordine uerborum poteft cognofci. Difputat, utrum IGNOMINIOSE miffi habeant uacationem? Et negat his remitti tutelam poffe: Sed illos tamen abfoluit, qui CAVSSARIAM remiffionem acceperint: uideri enim & hanc HONESTAM effe. CAVSSARIAM igitur, tum HONESTAM appellat

pellat, id ſcilicet agit, ut illam non IGNOMINIOSAM eſſe, ſed, ſi huic comparetur, honeſtam dici poſſe, oſtendat. Maxime, cum a tutela miles excuſatur, quae deſiderat hominem integrum atque prouidentem, non aegrum, non eneruem. Aliter ſentiendum, cum praemia exantlati laboris, praemia militiae, diſpenſanda ſunt. In illa deliberatione CAVSSARIA miſſio non quidem IGNOMINIOSA, aut uituperio digna, nec tamen ita HONESTA eſt, quam conueniat praemiis ornari; ſed inter ignominioſam & honeſtam MEDIA habetur, quae nec laudem mereatur, neque in notam infamiae incurrat. Hoc conſilio MACER ſeparat cauſſariam ab honeſta: atque ita poteſt inter utrumque JCtum conuenire

VII

CORPORIS INTEGRI ROBVSTI ET PROCERI PRIVILEGIA POTIORA SVNT QVAM IMBECILLITATIS IVRE CIVILI ROMANORVM

QVAMVIS igitur conſolemur imbecilles, doloresque miſerorum leniamus beneficiis; tamen in reddendis gradibus honorum, atque dignitatum, quibus communis utilitas promoueri, atque ad ſalutem omnium ordinum aliquid afferri debet, aut, quod idem eſt, in PRIVILEGIIS tribuendis, quibus utimur ad rempublicam adminiſtrandam, & officia obſervanda, majorem integrarum, atque confirmatarum, uirium, quam fractarum, & debilium, rationem habuerunt cum naturalia, tum ciuilia, praecepta. Si enim Dionyſio Halicarnaſſenſi (a) fides eſt, *Φύσεως νόμος ἐστὶν ἅπασιν ἀνθρώποις κοινὸς, ὅν οὐδεὶς καταλύσει χρόνος, ἄρχειν τῶν ἡττόνων τοὺς κρείττονας.*

Quae uires cum magis animo hominis contineantur, quam corpore, quod nobis etiam cum brutorum grege

C commu-

(a) Lib. I. p. 5.

commune eſt; conſequitur, potius ingenii, quam artuum, ſpectandam in deligendis hominibus uirtutem. Verum enimuero cum natura utriusque uſum uirtutis tam arcto uinculo conjunxerit, ut neque uis corporis & robur quicquam proſit, niſi arte & ingenio regatur, neque mentis duntaxat habitus ad res gerendas ſufficiat, niſi corporis utatur miniſterio, cujus imbecillitas & incommoda non ſolum mirifice perturbant animum, & frangunt: uerum etiam, ne quid ſuccedat, neue perficiantur deſtinata, impediunt; ea propter ne corpus quidem negligendum eſt, ſed iſti etiam in adminiſtranda republica tribuendae ſunt quaedam partes. ROMANIS quidem, ſi LIVIVM audiamus, VILE CORPVS eſt, dum magnam gloriam uident: (a) quod teſtatur dextra Mucii Scaeuolae, incenſo ad ſacrificium foculo injecta; ut attonitum uirtute hoſtem perturbaret. Quare, ut uincerent animo naturae & fortunae inuidiam, ex ipſis VITIIS CORPORIS ſubinde etiam nomen, & gloriam, quaeſiuerunt. Hinc SCAVROS, VAROS, CAECOS, CLAVDIOS, SCAEVOLAS, LVSCOS, BALBOS, CICERONES, appellarunt, ut intelligatur, non habitu corporis ROMANOS, ſed ingenio & gloria rerum geſtarum, aeſtimandos. In ipſis MILITIBVS conſcribendis, quorum officium magis corporis miniſterio, quam animo, obeundum eſt, non tam indocti roboris, quam artis, & exercitii, habendam rationem ſatis diligens rei militaris ſcriptor VEGETIVS (b) praecipit; ridetque Germanorum PROCERITATEM, aduerſus quam multum potuerit Italorum BREVITAS: (c) ridet etiam Hiſpanos, quos uiribus corporum Romanis praeſtitiſſe, conſtaret; (d) neque PROCERITATEM in milite magnopere deſiderat, cum utilius ſit fortes eſſe milites, quam GRANDES: (e) & MINOREM Tydeum corpore, ſed fortiorem armis, etiam Homeri auctoritas

ritas

(a) Liv. Lib. II. Cap. 12. (b) Vegetius de re milit. Lib. I. Cap. 1. (c) Id. loc. cit. (d) Id. ibid. (e) Id. l. c. Lib. I. C. 6.

ritas confirmet. (a) Sed illa uirtutis alienae contemptio ex conſcientia imbecillitatis enata eſt; nec ſeria, ſed tandem, cum apertius animi ſententiam profiterentur Romani, in admirationem commutata. Illud omnes reipublicae partes, ſapientiſſimis legibus diſcretae, atque ad ſummam dignitatem compoſitae, oſtendunt. Ordiemur igitur a pleniſſima boni exempli Republica ROMANORVM, cujus leges & inſtituta ad nōſtram aetatem propagata, atque a plerisque gentibus accepta ſunt: deinde progrediemur ad GERMANOS, quorum mores & praecepta ſimplicitatem naturae imitantur: donec ad cultiſſimam hanc SAXONIAM perueniamus: quae non ſolum, ab antiquiſſimis usque temporibus, uti armis, ita etiam ſcientia, & legum diſciplina, cum uicinis gentibus certauit; ſed AVGVSTISSIMI REGIS NOSTRI, cui perpetuum robur, uiriumque inuictiſſimam integritatem, in longiſſimos annos demiſſiſſime apprecamur, ſapientia, & heroica uirtute, ita illuſtrata eſt, ut palmam praeripiat omnibus, atque ad immortalitatem commendetur

VIII

GENERATIM QVID SIT PRIVILEGIVM ET CORPORIS INTEGRI PROCERI ET ROBVSTI SPECIATIM EXPONITVR

VIDEAMVS igitur, quid Romanorum legibus CORPORI INTEGRO, ROBVSTO, ET PROCERO, fuerit attributum: & per partes ſingulas eamus. Obſeruabis, hoc PRIVILEGIVM continere IVRA SPECIALIA, ILLIS, QVI CORPORE INTEGRO, ROBVSTO, ETIAM PROCERO, VSI FVERVNT, EX CONDITIONE CORPORIS, IDEO CON-

(a) Vegetius Lib. I. C. 5.

CESSA, VT ILLORVM VIRES MAGIS AD VTILITATEM REIPVBLICAE ACCOMMODENTVR.

Videntur IVRA SPECIALIA, non ſine ratione, ex uſu legum Romanarum, poſſe PRIVILEGIA appellari: ſed illi non nihil a recto diſcedere, qui cum CONSTITVTIONIBVS PERSONALIBVS, quae in ſingulas perſonas eduntur, PRIVILEGIA permiſcent. Sed offendas JCtos ſubinde incertos, quo ſe conſilio ſint expedituri. Recte LYNCKERVS (a) uidetur STRVVIVM notaſſe. Si ad antiquiſſima reipublicae tempora aſſurgas, PRIVILEGIA etiam in ſingulas perſonas concepta ſunt: & a jure, in ciues uniuerſos explicato, ſeparata. (b) Hoc ueteri XII. Tabb. praecepto comprobatur: PRIVILEGIA NE IRROGANTO, NISI MAXIMO COMITIATV. Ita enim legem illam GRAVINA reſtituit. Audiamus FESTVM (c) qui PRIVOS, inquit, ANTIQVI PRO SINGVLIS DICEBANT: OB QVAM CAVSSAM ET PRIVATA DICVNTVR, QVAE VNIVSCVIVSQVE SVNT: HINC ET PRIVILEGIVM ET PRIVATVS. Adeo intelligitur, antiquo jure Civitatis *perſonales Conſtitutiones* etiam PRIVILEGIA dici conſueuiſſe. Nec mireris, pro ſimplicitate illorum temporum, & cauſſarum, non adeo multas legum formas, neque has ſtudioſius diſtinctas fuiſſe, aut diuiſas. Poſtea, cum multa, de quibus antea non fuiſſet cogitatum, incidiſſent, alia atque alia jura conſtituta ſunt, ſubtili ICtorum ingenio diſcreta: ſuumque ſingulis nomen attributum: quaedam IN SINGVLAS PERSONAS concepta, quae perſonam egredi VLPIANVS noluit, neque trahi in exemplum poſſe exiſtimauit, l. I. §. 2. D. *de Conſt. Princip.* aliae leges cum pluribus communicatae, quas LYNCKERVS CONSTITVTIONES COMMVNES appellauit. Hae uel

(a) LYNCKER *Anal. ad Georg. Ad. Struu. Synt. Jur Ciu. Lib. I. D. Tit.* 4. p. 11. 13. (b) GRAVINA *de Jur. & Gent. & XII. Tabb.* §. 77. p. 243. *ſeqq.* GEORGIVS ACACIVS ENENCKEL *Baro Hohenbein. de priuil. Jur. Ciu. Lib. I. C.* 1. *n.* 1, *ſqq.* (c) *Feſtus uoc. priuos.*

vel GENERATIM de omnibus ciuibus praecipiunt, & CONSTITVTIONES GENERALES, ſeu proprio nomine, IVRA dici poſſunt, l. VIII. *D. de* LLbus, uel SPECIATIM, de certis ordinibus perſonarum, certisque formis cauſſarum, diſponunt, quae CONSTITVTIONES SPECIALES appellantur. GENERALES, uel REGVLAM IVRIS, manifeſtam illam, & apertam, ſequuntur: & REGVLARES dictae ſunt; uel contra tenorem rationis, id eſt regulae, propter aliquam utilitatem conſtituentium, introductae, quas PAVLLVS l. XVI. D. d. LLbus nomine IVRIS SINGVLARIS comprehendit. Sed SINGVLARIA IVRA neque ad SINGVLAS PERSONAS pertinent, neque ob materiam, ſed ob RATIONEM LEGIS SINGVLAREM, hoc nomine definiuntur. Ejusmodi forma l. LXIII. D. *d. uſufr.* ex libro PAVLLI, quod de jure ſingulari conſcripſit, proponitur: datur enim illi, qui fundum quidem, ſed uſumfructum non habebat, poteſtas cedendi, quem ipſe tamen non habet, uſusfructus. Ita ICTVS: QVOD NOSTRVM NON EST, TRANSFEREMVS AD ALIOS: VELVTI IS, QVI FVNDVM HABET, QVANQVAM VSVMFRVCTVM NON HABEAT, TAMEN VSVMFRVCTVM CEDERE POTEST. Videbatur Iuris regula obſtare, qua, quod noſtrum non eſt, in alios transferre, prohibemur; ſed contra tenorem illius rationis, auctoritate conſtituentium, propter aliquam utilitatem introductum eſt, ut liceat cedere uſumfructum. puta, quia certum erat, mortuo uſufructuario, uel conditione exſpirante, ad proprietatem, reuerſurum eſſe uſumfructum. Sed haec IVRA, quamuis SINGVLARIA ſint, tamen GENERATIM conſtituta ſunt, & pertinent ad ciues uniuerſos; nullo perſonarum diſcrimine accepto. Ab illis IVRA SPECIALIA ſejungimus, quae de quibusdam duntaxat ordinibus, aut de quibusdam formis cauſſarum, praecipiunt: neque a ſingulis perſonis impetranda ſunt (quae Conſtitutionum perſonalium forma eſt) ſed ipſo jure omnibus, qui ad eundem ordinem pertinent, promiſcue debentur, ipſis-

que legum uerbis continentur: ideo, cum a jure singulari, tum a Constitutionibus personalibus, distinguuntur. Talia sunt PRIVILEGIA minorum, dotis, fisci, foeminarum. CALLISTRATO l. V. Pr. *d. Jur. Immun.* PRIVILEGIVM AETATIS dicitur, data senectuti a muneribus ciuilibus uacatio. Ex quo intelligitur, IVRA SPECIALIA alio nomine etiam PRIVILEGIA IVRIS appellari: In eandem fere sententiam VLPIANVS l. XIII. §. 3. *de Vacat.* commentatur. MODESTINVS l. CXCVI. D. de R. J. PRIVILEGIA caussarum definit. DIOCLETIANVS l. IX. *q. pot. in pign.* Eos, qui pignora acceperunt, PRIVILEGIIS omnibus actionum personalium praeferri jubet. HONORIVS l. XI. *de Prof. & Medic.* Grammaticorum PRIVILEGIA commemorat, & IVSTINIANVS l. XIV. C. *de Vsufr.* etiam usufructus PRIVILEGIVM appellavit. Haec non in singulas personas constituta sunt, sed pertinent ad certas caussarum formas, atque ad certos ordines personarum. Eleganter LYNCKERVS de his legibus explicat, ostenditque, CONSTITVTIONES PERSONALES SINGVLIS, qui NOMINE PROPRIO APPELLENTVR, VT CARTHAGINI, AVT CAIO, aliquid LARGIRI; sed PRIVILEGIA PERSONIS, & CAVSSIS ALIQVID TRIBVERE, VT MINORIBVS, FOEMINIS, ATHLETIS, QVAE NOMINE PROPRIO NON VTANTVR. Subinde tamen etiam personalibus Constitutionibus idem datum est nomen. Lege Vn. C. *de privil. Vrb. Constant.* quae ad unicam hanc urbem pertinebant, beneficia, PRIVILEGIORVM nomine appellata sunt. DIOCLETIANVS l. IX. C. *de Testam.* Patrocliae cuidam, de PRIVILEGIO speciali patriae suae, rescripsit, quod & ipsum ad CONSTITVTIONES PERSONALES referendum videbatur. Possim longior videri; sed meretur curatius explicari VLPIANVS, qui PRIVILEGIA principum etiam Augustae tribui affirmat l. XXXI. D. d. LLbus. Erat quaedam dubitatio, utrum PRIVILEGIA PRINCIPVM ad CONSTITVTIONES PERSONALES, an ad IVRA SPECIALIA, hoc

loco

loco referantur. Vtrumque aliquam ſpeciem habebat. Olim enim ſinguli tantum nominatim Imperatores quibusdam legibus ſoluti ſunt, & quaedam praecipua jura impetrarunt: ut uideri poſſent CONSTITVTIONVM PERSONALIVM vim haec PRIVILEGIA habere. Sed poſtea longa ſucceſſione, omnibus Imperatoribus eadem Jura conceſſa ſunt, ut PRIVILEGIA illorum IVRIS perpetui & SPECIALIS formam induiſſe viderentur. Ex quo intelligitur, PRIVILEGIA pleruinque non in ſingulas perſonas, ſed in totum quendam ordinem perſonarum concepta eſſe. Habes ueram ſignificationem priuilegii: quam & nos accipiemus, & imitabimur ueteres JCtos, quorum ſolertia CONSTITVTIONES PERSONALES a PRIVILEGIIS ſeparavit. Illorum exemplo SPECIALIA IVRA viribus corporis tributa non praeter rationem PRIVILEGIA dicemus

IX

PRIVILEGIVM CORPORIS INTEGRI, PROCERI ET ROBVSTI IN MILITIA ROMANA.

In his igitur tradendis, ut recte, atque ordine quodam uerſemur, ducamus initium a MILITIA, cujus artes & primae omnium in Republica Romana frequentatae ſunt, atque a ſeruitiis intactae, & intaminatae, ad nobiliſſimam juuentutem pertinuerunt; quibus omnes Reipublicae partes defenſae, & amplificatae ſunt, inque illud faſtigium adductae, ut caput orbis terrarum Roma haberetur. Audiamus FLACCVM (a) de militia præcipientem:

Anguſtam amici pauperiem pati
ROBVSTVS ACRI MILITIA PVER
Condiſcat, & Parthos feroces
Vexet eques, metuendus haſta,

Vi-

(a) HORAT. Carm. Lib. III. od. 2.

Vitamque ſub dio, & trepidis agat
In rebus: illum ex moenibus hoſticis
Matrona bellantis Tyranni
Proſpiciens, & adulta virgo,
Suſpiret, Eheu! ne rudis agminum
Sponſus laceſſat Regius ASPERVM
Tactu LEONEM &c.

Vides & ROBVR a milite, & corpus ad labores confirmatum, & leonis animos, ac uires, deſiderari: Vides, ipſum etiam e longinquo proſpicientibus terribilem fuiſſe, horrendum aſpectu, gravem inceſſu, totius CORPORIS HABITU inſignem. Idem FESTVS (a) ex AElio obſervat, MILITEMQVE κατ' ἀντίφρασιν dictum videri admonet, eo, quod nihil MOLLE, ſed potius aſperum quid gerat. Diſſimulat illud VEGETIVS (b) ut ſupra eſt a nobis obſeruatum, magisque ARTE, & exercitatione, quaeri uictoriam, quam VIRIBVS, affirmat; ſed ducitur inuidentia, cum Romani corporis infirmitas ipſi neceſſitatem contemnendae uirtutis alienae impoſuiſſet. Nec obſcure ſuo ſe prodit indicio. Quid enim, inquit, aduerſus Gallorum multitudinem paucitas Romana potuiſſet? Quid aduerſus Germanorum PROCERITATEM noſtra BREVITAS? Hiſpanos quidem non tantum numero, ſed etiam VIRIBVS, præſtitiſſe noſtris, manifeſtum eſt. Sed aduerſus omnia profuit tyronem SOLERTEM eligere. Sed idem tamen, paucis interjectis, militem quotidiano exercitio ROBORANDVM eſſe, præcipit: & ubi de regionibus, ex quibus tyrones legendi ſunt, diſputat, (c) multum intereſſe dicit, ubi miles naſcatur, cum gens gentem præcedat in bello, & plaga caeli AD ROBVR non tantum CORPORVM, ſed etiam animorum plurimum ualere intelligatur. In quibus eſt illud lepidum, quod credat a doctiſſimis hominibus comprobatum eſſe, Sicciores, quo

(a) Feſtus. Voce Miles. (b) Veget: de Re Mil. Lib. I. c. 1. (c) Veget: Lib. I. de Re Mil. c. 2.

quo minus habeant ſanguinis, tanto magis uulnera timere. Sed, propter eundem ROBORIS uſum, aptiorem armis (a) RVSTICAM plebem, ſub dio enutritam, DVRATIS ad omnium laborum tolerantiam MEMBRIS confirmatam, cenſet: proculque habendos a ciuitatis illecebris milites, ut eo modo & CORPORIBVS eorum ROBVR, & animis, accedat. In qua re HORATIVM FLACCVM ſecutus eſt auctorem, qui & ipſe (b) laudat militem ruſticum victorem:

Non his juuentus orta parentibus
Infecit aequor ſangvine Punico:
Pyrrhumque & ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemque durum:
Sed RVSTICORVM maſcula MILITVM
Proles, ſabellis docta ligonibus
Verſare glebas, & ſeuerae
Matris ad arbitrium reciſos
Portare fuſtes.

Negabis fidem HORATIO, ipſi quidem militi, ſed qui quondam, relicta non bene parmula, aufugerit. Apertius ergo VEGETIVS, hujus artis magiſter, (c) in omnibus STATVRAE MAGNITVDINEM, CORPORIS ROBVR, alacritatem animi, jubet explorari: & praeterea legere juniores, CORPORIBVS, & animis, PRAESTANTES. Et quamuis magis deſiderari uires, quam CORPORIS MOLEM, profiteatur; tamen PROCERITATEM tyronum ad uictoriam ſemper eſſe exactam commemorat: (d) monetque, omnibus membris confirmatos eſſe eligendos, qui poſſint bellatoris officium implere: (e) qui uigilantibus oculis, erecta ceruice, lato pectore, humeris muſculoſis, ualentibus digitis, longioribus brachiis, uentre modico, exilioribus cruribus, ſuris expeditis, non ſuperflua carne diſtentis, ſed neruorum duritia collectis,

D com-

(a) Veg. Lib. I. c. 3. (b) Horat. Carm. III. Ode 6. u. 33.
(c) Veg: L. II. c. 18. (d) Id. Lib. II. c. 5. (e) Veg: L. I. c. 6.

commendentur. Ex quibus rebus intelligitur, non contemni CORPORIS ROBVR, & COMMODAM STATVRAM, ſed quæri potius, & deſiderari, & tunc demum, cum inueniri proceritas non poſſit, artis ſubinde ſubſidio, & exercitationis quaſi uicaria quadam ope, quod natura negauerit, ſuppleri. Ipſe adeo VEGETIVS (a) deſideratam eſſe quondam PROCERITATEM CORPORVM affirmat, ſed illis temporibus, cum amplior eſſet multitudo, & plures militiam armatam ſequerentur. Nec dum enim, inquit, ciuilis pars florentiorem adduxerat juuentutem. Ergo ſequioribus demum temporibus, neceſſitas exegit, ut non tam STATVRAE, quam VIRIVM, in delectu militum, haberent rationem. Poteſt igitur aliquid etiam IMBEÇILLITAS, quae arte atque exercitatione confirmetur; ſed ſi ad natiuam corporis virtutem, ingenium, atque exercitatio, accedit, ſolet inde illa uirtus militaris, & neſcio quid praecipuum, enaſci

X

QVID INTER VTILEM ET IDONEVM DISCRIMINIS INTERCEDAT.

NEQVE illud ignotum fuit Iureconſultis: ſed intelliges utiliter togam de ſago praecepiſſe. DEBILITATOS ARRIVS MENANDER Leg. IV. §. 12. *D. de Re Mil.* Inhabiles militiae renunciauit, & generatim legibus definitum eſt, ut milites non modo IDONEI & experientes ſint, quod GRATIANVS l. III. C. de *Privil. eor. q. in Sac: Palat. mil.* poſtulat, ſed etiam ut VTILES inueniantur, miſſis cauſſaria miſſione illis, quos VITIVM animi uel CORPORIS prohibuiſſet. l. XIII, §. 3. D. *de R. mil.* Cujus VTILITATIS tanta habetur ratio, ut etiam ſeruos, ceteroquin a militia excluſos, ſi ſcientibus dominis militauerint, & VTILES ad militiam eis datam uiſi fuerint, ingenuos eſſe, & retineri; dominos uero & dominio, & jure patronatus, excidere jubeat IVSTINIANVS. l. VI. C. *q. milit: poſſunt*: quibus legibus utrumque, & mentis alacritas, & ROBVR CORPORIS deſideratur. Quod enim IDONEI eſſe

(a) l. c.

ſe juſſi ſunt, ad ANIMVM pertinet, & ſubinde etiam ad copias facultatum; quod VTILES, ad CORPORIS VIRTVTEM refertur. Ita enim leges ueteres VTILEM & IDONEVM diſtinguunt, maxime ſi non ſit, quod addatur. Multa a Iureconſultis in eam ſententiam dicta ſunt, quæ non uacat conquirere omnia, & huc transferre. Pauca adducamus. Aut omnia me fallunt, aut huc certe VLPIANVS referendus eſt, qui l. XLII. *D. de verb. ſignif.* non natura, inquit, probrum dicitur, quod poteſt etiam in HOMINEM IDONEVM incidere: intelligitque, hominem ingenuum, & animi uitio non corruptum. De illis enim loquitur, qui tutelae judicio damnari poſſunt. Idem Imperatores obſeruarunt, & numerariorum faſtus, & rapaces quaeſtus, perferri ab illis noluerunt, qui ex aula diſceſſerint, HOMINES IDONEI atque experientes; Puta, quorum integritatem & fidem ex rerum argumentis perſpexerint L. III. C. *de Priuil. eor. q. in S. Palat. mil.* Porro, ad regendum Principatum officii Comitis domuum per Cappadociam IDONEI ex numero mittendariorum eligantur l. III. C. *de Palat: Sacr. larg.* quorum & probitas cognita ſit, atque ad regendam rempublicam mentis facultates perſpectæ. Neque enim CORPORIS VIRTVTE opus eſt ad regendum Principatum. Vides IDONEOS ex ingenio, & mentis uiribus, ſubinde appellatos. Sed VLPIANVS quosdam propter facultates, diuitiasque, IDONEOS pronunciauit; Adducit enim locupletes, qui ſufficientes & IDONEI deprehendantur l. VI. D. *de mun*: Ita & CALLISTRATVS l. XIV. §. 6. D. *de mun*: illos IDONEOS intelligi uoluit, quos ciuilibus muneribus defungi poſſe conſtaret. Sic IDONEI accipiuntur. Sed qui CORPORE VALEBANT, potius VTILES dicti ſunt. Docet illud MODESTINVS l. XXII. D. *de poenis.* De damnatis enim in metallum diſputat, qui AETATIS VEL VALETVDINIS INFIRMITATE INVTILES oneri faciendo deprehendantur. ARCADIVS CHARISIVS l. XVIII. §. II. *de mun.* LAESI ET INVTILIS CORPORIS infirmitatem excuſauit. IAVO-

LENVS etiam l. CCXLII. *pr. D. de Verb. Signif.* naues fine malo INVTILES definit. Ex quibus cognofcitur, VTILIA uideri, quorum CORPVS ad minifteria comparatum eft, fed IDONEA, quae aliis ex cauffis commendentur. Sed haec obtinent, quoties non adjicitur, qua parte aliquis aut IDONEVS fit, aut VTILIS dicatur. Hoc fi fiat, rarius etiam ANIMI VIRTVS VTILIS, CORPVS IDONEVM appellatur. MACER certe l. XIII. §. 3. D. *de Re. Mil.* milites CORPORE & ANIMO minus IDONEOS rejicit, & PAPINIANVS l. VIII. §. 4. D. *de uacat.* Philofophos laudat, qui fe frequentes atque VTILES praebeant illis, qui ad eandem fapientiam contendunt. Vides uix femel, atque iterum, VTILITATEM ad ANIMVM referri; fed qui illa parte ualeat, IDONEVM, qui CORPORE confirmetur, VTILEM uideri: atque ita intelligendae funt leges, quibus milites & VTILES & IDONEI probantur. Igitur CORPORIS etiam ratio habetur in delectu, nec tamen indiftincte: quandoquidem VITIVM, quod uirtutem, & artuum robur, fane non frangebat, non erat impedimento militiae. Refpondet enim ARRIVS MENANDER: qui uno tefticulo natus fit, quiue amiferit illum, jure militare, fecundum Diui Trajani refcriptum; cum & Sylla & Cotta eo habitu fuiffe naturae memorentur, l. V. D. *de R. Mil.* Ceterum INTEGROS & ROBVSTOS defiderabant, & acriter fuccenfebant illis, qui, in fuum uel fuorum CORPVS injurii, commiferant aliquid, propter quod minus VTILES ad militiam obeundam haberentur; Refcripfit enim DIVVS HADRIANVS, qui fe VVLNERAVERIT, fi impatientia doloris, aut taedio uitae, aut morbo, aut pudore, mori maluerit, in eum animaduerti non poffe, fed uideri hominem ignominia mittendum; fi nihil tale praetenderit, capite plectendum: per uinum, aut lafciuiam, lapfis, militiae mutationem irrogandam. Verba refcripti ARRIVS MENANDER l. VI. §. 7. *D. de Re Mil.* feruauit. Nec mitius ab aliis Imperatoribus ani-

animaduerſum: Teſte enim eodem, quem induximus, MENANDRO, l. IV. §. 12. D. *de Re Mil.* etiam illum, qui filium DEBILITAVERAT, delectu per bellum indicto, Diuus Trajanus deportauit: & cum quis ſponte RESECTIS DIGITIS, bello ſe inutilem feciſſet, CONSTANTINVS illum curiis addixit. Neque illa tamen ſine ueterum exemplo ſtatuta ſunt. Si VALERIVM MAXIMVM audiamus, in Cajo Vettieno, qui SINISTRAE MANVS DIGITOS, ne bello Italico militaret, ſibi ABSCIDERAT, ſeueritas Senatus non ceſſauit: Sed bonis publicatis, ipſum aeternis uinculis puniendum cenſuit, effecitque, ut, quem honeſte ſpiritum effundere in acie potuerat, eum ignominia in catenis conſumeret. (a) Plena ſunt hujus exempli omnia rerum antiquarum monimenta. OCTAVIVS AVGVSTVS equitem Romanum, quod duobus filiis adoleſcentibus POLLICES AMPVTASSET, ipſum & bona ſubjecit haſtae; ſed liberto ejus addixit, ut relegatum pro libero eſſe pateretur. (b) Vtique apparet NON VILIA Romanis CORPORA fuiſſe. Quapropter diſcederem ab hoc loco, niſi me teneret ARRIVS MENANDER qui milites etiam SEGNES reprehendit. l. V. §. 6. *D. de Re Mil.* Erat quaedam dubitatio, SEGNITIES magis ad CORPVS, an ad ANIMVM, ſpectaret. SEGNES enim ARRIVS a negligentibus rerum ſuarum, etiam a remanſoribus, etiam ab illis, qui crebro extra contubernium agere ſoleant, ſejungit: eſtque incertum, quis poſſit SEGNIS eſſe, qui non idem ſit negligens, & remanſor. Si ANIMVM cogitaueris, ex eodem fonte haec uitia naſcuntur. Quapropter uideri poteſt illo loco, aliud quidquam per ſegnitiem, quam negligentia, notari: inprimis cum idem ARRIVS l. VI. pr. D. *de Re Mil.* SEGNITIAE crimen a contumacia, & deſidia, diſtinguat. Sed ma-

 gis

(a) Val. Max: Lib. VI. rer: memorab: C. 3. n. 3. (b) Suet: in vita Aug: c. 24.

gis est, quod SEGNITIEM credamus a VITIO uoluntatis proficisci. Praeterquam enim, quod SEGNITIES l. VI. pr. D. *de R. M.* CRIMEN appellatur, quod ad ANIMUM pertinet, & solo corpore, sine uoluntatis consilio, committi non potest; ipsa etiam lex V. §. 6. D. h. t. eximit nobis caussam dubitandi. Ejusmodi enim species proponebatur: Remissi erant a barbaris milites Romani: dubitatum, an restituendi essent, qui remittebantur? Ait, HADRIANUS, posse restitui, si probabunt, se captos euasisse, non transfugisse: De VOLUNTATIS igitur VITIO, & dolo captiui, quaerebatur. Sed pergit Jureconsultus: Hoc licet liquido constare non possit, argumentis tamen cognoscendum, & si bonus miles antea aestimabitur, prope est, ut affirmationi ejus credatur: si remansor, aut negligens suorum, aut SEGNIS, aut extra contubernium agens, non credatur. Igitur, ex SEGNITIE militis, de ejus dolo judicandum est. Qua re intelligitur SEGNITIEM ad voluntatis uitia referri. Ex corporis enim imbecillitate de animi consilio non recte cognoscitur

XI

PRIVILEGIUM CORPORIS PROCERI IN GRADU MILITIAE ATTRIBUENDO

VTILES igitur & ROBUSTI sint milites oportet, quia omnes PROCERI inueniri non possunt. Sed STATURAE modus GRADUM DIGNITATIS, & militiae, honestiorem attribuit. Vt ab illis ordiamur, qui praesunt gregariis, primo de CENTURIONIBUS & SIGNIFERIS explicabimus. De illis VEGETIUS: (a) centurionem eligendum esse MAGNIS VIRIBUS, PROCERA STATURA, qui hastas uel missilia perite jaculetur, & fortiter: magis ad faciendum, quae imperantur, quam ad loquendum, comparatus. De SIGNIFE-

RIS

(a) Veget. de Re milit. II. 14.

RIS ex POLYBIO LIPSIVS (a) Ἐκ τῶν καταλειπομένων ἐξέλεξαν τὰς ἀκμαιοτάτους, καὶ γενναιοτάτους ἄνδρας τὰς σημαιοφόρους. Ex reliquis FLORENTISSIMOS CORPORE, & generosissimos milites, signiferos deligebant. Sufficiat haec cursim & quasi digito, quod ajunt, indicasse. Sed cum centurionibus EVOCATORVM cohortem dignitatis gradu conjunxit Caesar Imperator: (b) Veteranos atque emeritos plerosque: artis peritia, & in periculis constantia, principes, sed ἀκμάζοντας ἔτι, καὶ προθύμους, florentes adhuc corpore, si PLVTARCHO fides est: (c) & quamuis supra aetatem militarem profectos, tamen animo adhuc, & CORPORE, INSIGNES euocabant. Igitur & hic gradus militiae, quo Euocati utebantur, CORPORIS VIRTVTE atque dignitate quaerebatur. Noli existimare, nihil EVOCATOS corporis dignitate fauoris, & emolumenti, quaesiuisse: Quippe & ordines ducebant postea, qui erant EVOCATI: & multis praemiis deinceps ornabantur. Certe a POMPEIO (d) multi ex ueteribus exercitibus SPE PRAEMIORVM atque ORDINVM euocabantur: de quibus copiose LIPSIVS (e) atque item VOSSIVS (f) egerunt. Euocatis proximi, inter gregarios, qui in PRIMIS legionum COHORTIBVS, uel inter EQVITES ALARES locum obtinebant: Hi SENOS PEDES uel certe QVINOS & DENAS VNCIAS habere (g) probabantur in delectu: Hic erat CORPORIS MODVS & PROCERITATIS. Etiam in TERTIA cohorte VALIDIORES probari moris erat, teste VEGETIO, (h) quia in media acie illa cohors consistebat. Ergo ex CORPORIS ROBORE & STATVRA suus cuique locus in legionibus, & cohortibus, assignatus: ex illo gradu suus cuique HONOS, sua DIGNITAS tribui solebat. Erat enim

(a) Lipsius de mil. Rom. l. 1. dial. 8. (b) Caesar de bello civ. l. 1. c. 3. (c) Plut. in vita Quinctii. (d) Caesar bello Civ. l. I. c. 3. §. 4. (e) Lipsius Lib. I. de R. M. Dial. 8. f. (f) Vossius ad Caes. Lib. I. B. C. c. 27. (g) Veget. de R. M. Lib. 1. c. 5. (h) id. l. c. Lib. II. c. 6.

enim etiam inter gregarios quidam ordo militiae cum honore, & dignitate, conjunctus. Docet illud ARRIVS MENANDER, praecipitque, MVTATIONEM MILITIAE quibusdam poenae loco irrogari, lege VI. §. 7. D. *de re M.* Sed aperte VEGETIVS (a) PRIMAM cohortem reliquas ostendit, & numero militum, & DIGNITATE, superasse: Ita etiam ex ceteris alia videbatur aliam uincere, & antecedere: si cum commilitonibus milites compararentur. Videas addi subinde in INSCRIPTIONIBVS, in qua Legione, in qua Cohorte, quisque militaverit, ut: MILES COHORTIS PRAETORIAE (b) CAL. LEG. X. (c) *ex Coborte VIII.* (d) EX LEG. IN LEG. PROMOTVS (e) EVOCATVS EX COHORTE III. Pr. (f) MILES DVPLARIVS LEGIONIS X. (g) & his similia, ut de gradu dignitatis, uirtute, & laboribus quaesito, praemiisque militiae, etiam posteris constaret. Ex alia enim in aliam milites successione, atque quasi per gradus militiæ, ascendisse ex insigni LAPIDE LITERATO apud GRVTERVM intelligitur:

TI. CLAVDIO. T. F. VITALI. VETER. EXQ. VETER. ORDINEM. ACCEPIT. IN. LEG. V. POST SVCCESSIONEM PROMOTVS. IN. LEG. V. MAC PHAL. DONIS. D. TORQVIB. ARMILLI. PHALER CORONA. NAVALI. BELLO. DACICO. SVCCES SIONE. PROMOT. EX. LEG. I. ITAL. IN LEG. I. MINER. MER. DONIS. D. TORQVIB. AR MILLI. PHALER. CORO. NAVALI. BELLO. DA CICO. SVCCESSION. PROMOT. EX. LEGE. PRI MA. MINER. IN. LEG. XX. VICT. ITEM PROM. IN. LEG. EADEM. ITEM. SVCCESSIO NE. PROMOTVS. EX LEG. XX. VICT. IN LEG. IX. III. SP. IN. L. VII. CL. P. F. ITEM SVC-

(a) l. c. (b) Gruterus Opere Inscript: tom. I. p. 533. n. 8. (c) Grut. tom. I. p. 533. n. 1. (d) Grut. tom. I. p. 560. n. 2. (e) l. c. p. 391. n. 4. (f) l. c. p. 531. n. 10. (g) l. c. p. 12. n. 9.

SVCCESSIT. IN. LEG. EADEM. MILIT. 7. IIII. PR. POST. ANNIS. XI

VIXIT. ANNIS. XLI

Habes prærogatiuam militum, qua propter STATVRAE COMMODITATEM, rerumque gestarum gloriam, subinde utebantur. Apparet enim ex STATVRAE MODO gradum cuique in militia assignatum. Est locus dubitationi, an de CORPORIS PROCERITATE etiam ZENO cogitauerit, qui leg. XVII. C. *de R. M.* per suggestionem sibi declarari postulat: QVI & QVANTI milites, & in quo numero, & limite, debeant subrogari? ut ex diuina subnotatione, militiam sortiantur. Posset enim quibusdam uideri Imperator de MODVLO CORPORIS quaerere, ut ex illo dignam cuique militiam assignet. Sed certius est illud: QVANTI DEBEANT SVRROGARI, ad NVMERVM, non ad CORPORIS MOLEM, pertinere; ut perinde accipiantur haec uerba, ac si, QVOT milites surrogandi sint? ex magistro militum quaesiuisset

XII

PROBATIO MILITVM.

INTERFVIT igitur militum, quibus uiribus, quo ROBORE, qua corporis PROCERITATE, esse cognoscerentur. Ex illa caussa, non modo ad Tribunorum officium pertinet, ualetudinarios inspicere, quod MACER leg. XII. §. 2. D. *de Re. mil*: praecepit, ne quisquam locum militiae, cui implendo uires ejus non sufficiant, cujusquam incuria sortiatur; Sed praeterea etiam PROBANDI sunt milites, ut qua aetate, quo ROBORE, quo corporis habitu, & uirtute, essent, intelligatur, suusque singulis locus tribuatur. Hinc SEVERVS & ANTONINVS: si militiae nomen dare uultis, offerte uos his, qui PROBANDI jus habent, l. I. C. *qui mil. possunt*, rescri-

E pserunt.

(a) Grut: opere Inscr: tom: I. p. 391. n. 4.

pſerunt. Equitum PROBATIONEM (a) VALERIVS M. a Quinti Fabii temporibus repetit, ex cujus inſtituto Id. IVL. equites trabeati transuehebantur. Reduxit morem TRANSVECTIONIS poſt longam intercapedinem AVGVSTVS (b) & equitum turmas frequenter recognouit. Habes morem PROBATIONIS. Forte, ad quid attentendum in PROBATIONIBVS fuerit? ſciſcitaris. Illud VEGETIVS obſeruat, (c) longaque oratione comprehendit uirtutes, ex quibus milites & centuriones commendentur: & loquuntur litterati lapides, quaeſiuiſſe Romanos exinde gloriam, quo tempore aetatis, & in quo ordine, fuerint PROBATI. Inſignis eſt ille apud GRVTERVM: (d) quo FAONII PATERNI EX EVOCATIS filii, quod pater Anno aetatis XVII SE PROBAVERIT, & in cohorte XI. militauerit, cum innocentiae & uirtutis laude, gloriantur. Alios PROBATOS IN COHORTE VII. PR. (e) & quod idem eſt, PROBITOS, (f) item, PROVITOS anno aetatis XVII (g) paſſim inueneris: Et alia ejusmodi ſexcenta

XIII

CORPORIS PRIVILEGIVM VETERANIS ET EMERITIS CONCESSVM

HACTENVS de legendis, collocandisque, militibus explicatum eſt: jam uideamus de MITTENDIS. Qui VITIO animi uel CORPORIS minus idonei militiae renunciati ſunt, CAVSSARIA MISSIONE ſoluuntur ſacramento. l. XIII. §. 13. *de R. M.* quae CAVSSARIA miſſio ipſa etiam HONESTA eſt. L. VIII. §. 5. D. d. *Excuſ.* id eſt, non ignominioſa, aut cum dedecore conjuncta. Ita enim lex VIII. C. *d. re milit.* nodum ſoluit, quia CAVSSARIA miſſis nulla exiſtimationis macula adſpergitur; ſed HONESTIOR eſt illa, quae tempore militiae imple-

(a) Val. M. L. II. c. 2. n. 9. (b) Suet. in uita Aug: c. 38. (c) Veget. l. I. c. 3. 4. 5. II. c. 14. (d) Grut. tom. I. Inſcr. p. 541. n. 2. (e) Gr. l. c. p. 1103. (f) l. c. p. 572. n. 5. (g) idem p. 526. n. 6.

impleto impetratur. L. XIII. §. 3. D. *de re milit.* Militia enim si ultra uicesimum annum, in legione uel uexillatione producitur, parit munerum onerumque personalium uacationem l. III. C. *d. his. q. non implet. stip. sacr. solut. sunt*, atque excusationem a tutela l. VIII. §. 2. 3. D. *de Excus.* Sed, numero stipendiorum impleto, etiam BENEFICIVM miles merebatur. Ex his enim conflatae erant EVOCATORVM duae cohortes, quae ex BENEFICIARIIS superiorum exercituum ad Pompejum conuenerant. (a) Testantur illud etiam LAPIDES, & loquuntur BENEFICIA ueteranis militibus tributa. Ex illis se BENEFICIARIOS (b) SPE BENEFICIARIOS (c) EMERITOS (d) MISSOS HONESTA MISSIONE (e) dici uoluerunt, illisque nominibus opinionem uirtutis, & gloriae, apud posteros quaesiuerunt. Nihil illorum ex CAVSSARIA MISSIONE, quae ante illud tempus, propter CORPORIS INFIRMITATEM impetrata fuerit, sperari poterat, nisi quantum miseratio, & necessitas extorquebat. Aperte DIOCLETIANVS L. II. C. *de his, q. non implet. stip.* docet, ob profectae aetatis senium dimissos HONESTAM quidem dimissionem consecutos, & habere a ciuilibus muneribus, honoribusque, quibus IMBECILLITAS non sufficiebat, aliquam uacationem; nec tamen ea priuilegia accipere, quae his competunt, qui pleno stipendiorum numero perfunguntur. Neque MACER l. XIII. §. 2. D. *de re milit.* contradicit, quamuis, quod praemii loco Veteranis concessum est, etiam ad illos, qui CAVSSARIA MISSI sint, putet pertinere: Et his enim ait, praemium praestatur. Videntur Veteranorum jura cum illis, qui caussaria missi sunt, communicari; sed uidetur hoc illis, qui speciem illa lege propositam non excutiunt. Disputat MACER de agro post missionem praescriben-

 do

(a) Caesar de Bell. Ciu. Lib. I. 3. III. 83. (b) Gruterus Oper. Inscr. p. 558. n. 5. 553. n. 8. alibi passim. (c) Gruter. p. 393. n. 5. (d) p. 105. n. 8. 572. n. 3. passim. (e) p. 18. n. 5. p. 45. n. 13. p. 108. n. 5. 6. 7. passim

do, quem miles contra disciplinam comparauit. Ait ICtus, si nulla lite de agro mota missionem acceperit, postea militem praescriptione tutum esse: nec tamen IGNOMINIOSE MISSVM, qui poenam mereatur; sed qui CAVSSARIA MISSVS fuerit, posse dici etiam illum praescriptione defendi posse. Habes militis praemium, qui propter VALETVDINEM missus est, sed quo duntaxat A POENA ABSOLVITVR, in illos constituta, qui IGNOMINIOSE mittebantur. Igitur non tam praemium consequitur, quod ad Veteranos pertineat; quam jure communi militum utitur, quod ipsum etiam IGNOMINIOSE missis in poenam ademtum est. Generatim enim, cum de poenis ignominiose missorum disputatur, qui CAVSSARIAM missionem accepit, potius HONESTE misso, quam IGNOMINIOSE misso, solet comparari. Illud miseratio suadebat, quod etiam LIPSIVS obseruauit (a) Praemium uirtutis frustra expectabant, quos VALETVDO excluserat. Igitur nec restitutio, aut instauratio, illis solet concedi obtentu ualetudinis recuperatae. Ita GORDIANO l. VI. C. *de re mil.* uisum est, nec temere, sed ex ratione luculenta: quia nemo dimittitur, nisi quem Medicis denunciantibus, & judice examinante, probatum sit VITIVM contraxisse. Ex quibus rebus intelligitur, ueteranorum beneficia non propter solam animi uirtutem, aut in laboribus constantiam & solertiam, sed propter CORPORIS etiam CONFIRMATIONEM, quae cum ad explendum tempus militiae, tum ad illud superandum, suffecerit militibus concessa, atque ab emeritis fuisse impetrata

XIV

PRIVILEGIA CORPORIS AD IVS SVFFRAGII HONORVM ET IMMVNITATIS SPECTANTIA IVRE CIVILI ROMANO

Mittamus milites: atque in rempublicam TOGATAM descen-

(a) Lipsius de milit. Rom. Lib. V. dial. 19.

ſcendamus. Non multum me CALLISTRATVS moratur, qui l. XI. *D. de Decurion.* tenerae aetatis homines quaſi inhabiles ad rem publicam tuendam poſſe DECVRIONES fieri negauit, nec minores XXV. annis allegi, niſi ex cauſſa permiſit, quibus PAPINIANVS decurionum ſportulas reliquit, ſed interim ſuffragia inter ceteros ferre ipſos non poſſe, l. VI. D. *eod. Tit.* cenſuit. Nam potius animi uirtus, quam CORPORIS, in decurionibus deſideratur, quamuis utriusque partis confirmatio illis prodeſſe uideatur, qui rempublicam adminiſtrant. Magis attinet monere, SVRDOS & MVTOS ſi omnino non audiant, nec loquantur, ab HONORIBVS, non etiam a muneribus excuſari. Ita PAVLLVS l. VII. D. *de Decur.* reſpondit. Ex quo loco intelligitur, a PRIVILEGIIS illorum, quibus propter corporis integritatem ad honores aditus patet, excludi debiles & infirmos; nec tamen continuo ab INCOMMODIS abſolui, quibus etiam robuſti onerantur. Igitur corporis ratio in Republica habetur, magisque integris & ualentioribus fauemus, quam ualetudine affectis. Ne credas Decurionatum, & honores in municipiis, ad quos ut ſurdi & imbecilles adſpirare poſſint, jura non permittunt, magis ad onera ciuium, quam ad commoda, & emolumenta, pertinere. Lex enim II. III. VI. XII. XIV. D. *de Decurionibus* argumento ſunt, non omnino contemnendam fuiſſe illam dignitatem inter municipes: nec ſterilem aut infructuoſam; ſed inuentos fuiſſe ciues, qui de obtinendis honoribus inter ſe certarent. EXCVSANDI igitur ſurdi & muti ab honoribus; ſed, quia corporis ipſa imbecillitas, ne rempublicam adminiſtrent, eſſe impedimento uidebatur, NECESSARIA, & eadem excuſatione, qua GRANDES NATV prohibentur Decuriones fieri, atque in perpetuum AMOVENTVR. Ita enim de his Leg. XI. D. *de Decur.* CALLISTRATO uiſum eſt. Sed grandes natu, non SENIORES excuſari intelligis: ne ſeniorum excuſatione, juniores onerentur: utque co-

 gnoſci

gnosci possit, propter solam corporis infirmitatem hoc illos incommodum sentire. Qui paullo rectius ualebant, admissi ad honores. Ne possit dubitari VLPIANVS l. III. D. *de jure Immun.* occurrit, & annorum numerum definit. Ait enim majores septuaginta annis a muneribus vacare, nec tamen illum, qui ingressus sit annum septuagesimum: quia non videbatur major esse septuaginta annis, qui annum septuagesimum agebat. Habes qui GRANDES NATV appellentur. Sed SEXAGENARII senes dicti sunt, & iidem etiam DEPONTANI, quia sexagenarii de ponte dejecti sunt, si FESTVM sequimur auctorem. (a) Igitur & sexagenarii insigne detrimentum, ex corporis INFIRMITATE acciperent: Si credi posset fabulae antiquae; Sed tam plena est nugarum, ut ne NASONI quidem placeat fabularum Architecto. (b) Si uacat, NASONEM audiamus:

> Corpora post decies senos qui credidit annos
> Missa neci: sceleris crimine damnat auos.
> Fama uetus, tunc cum Saturnia terra uocata est,
> Talia fatidici dicta fuere senis:
> Falcifero libata seni duo corpora gentes
> Mittite, quae Tuscis excipiantur aquis.
> Donec in haec uenit Tirynthius arua, quotannis
> Tristia Leucadio Sacra peracta modo:
> Illum stramineos in aquam misisse Quirites:
> Herculis exemplo corpora falsa jaci.
> Pars putat, ut ferrent juuenes suffragia soli
> PONTIBVS infirmos praecipitasse senes.

Sed haec copiosius a PRAESIDE commentatione singulari de SIGILLARIBVS-DITI SACRIS disputata sunt. Non inuenuste illi rem explicant, qui exclusos a centuriatis Comitiis senes, ex illo commento suspicantur: si rerum antiquarum

(a) Festus, Voce: Depontani. (b) Ouid: Fast. L. V. v. 623.

rum monumentis confirmaretur conjectura. Quirites enim cum in suffragia missi essent, per pontes transierunt. Illud certius est, prolixae uel IMBECILLAE admodum AETATIS homines non alligendos in collegia, quibus immunitas concessa. Ita CALLISTRATVS l. V. §. 12. D. *de jure Immunit.* censuit: Quibusdam enim collegiis & corporibus, quibus jus coëundi lege permissum est, immunitas tribuitur: Scilicet illis, in quibus sui artificii caussa unusquisque assumi solet, ut fabrorum corpus, & si qua eandem habent originem. Nec tamen ex omni aetate allegi debent, ut Diuo Pio placuit, qui reprobauit prolixae aut imbecillae admodum aetatis. Hactenus Jureconsultus. Intererat enim Reipublicae ROBVSTOS potius, quam DEBILES, & fractos, etiam praemiis ad utilitatem reipublicae & studium artis excitari

XV

PRIVILEGIVM CORPORIS INTEGRI IVRE SACRO ROMANORVM

PRIVSQVAM A PVBLICO jure transeamus ad priuatum, de jure SACRO praecipiendum est. Et hoc enim PVBLICVM uidetur, quamuis QVINCTILIANVS publicum a SACRO sejunxerit; sed magis est, quod obtemperemus VLPIANO, qui l. I. §. 2. D. *de Just. & Jure* definit: Ius PVBLICVM in SACRIS, in sacerdotibus, in magistratibus, consistere. CORPORIS VITIO & labe etiam Deorum religio contaminari subinde uisa est. Certe capi VIRGINEM VESTALEM, quae lingua debili, sensuue aurium difficili, usa fuerit, aut alio CORPORIS VITIO insignem, nefas habebatur. Hoc ex Labeone Antistio GELLIVS obseruat. (b) Generatim SENECA sacerdotes INTEGROS & sanos desiderat: PLVTARCHVS (c) etiam augures, cum ne auibus quidem ulceratis quisquam ad auspicandum uteretur. Hyrcanum An-

(a) L. II. Inst. Orat. c. 4. (b) Gellius noct: Att: I. 12. (c) Plut: Probl. VII. 2.

Antigonus captiuum auribus truncauit, ne consilium petendi pontificatus ipsi succederet. Hi mores fere cum omnibus gentibus communicati, & magno consensu accepti. Neque in sacerdotibus deligendis religio substitit; sed ad omnia SACRORVM MINISTERIA se extendit. In ipsis sacris certaminibus, qui uirtutis spectacula ederent, illos non modo CORPORE INSIGNES esse oportebat, sed nulla etiam macula, nulla ignominia, notatos. Vtile enim VLPIANO uisum est, ut neque Thymelici, neque Xystici, neque agitatores, neque qui aquam equis spargerent, ceteraque eorum ministeria, qui sacris certaminibus deseruiunt, ignominiosi haberentur, leg. I. pr. D. *de. h. q. not. infam.* Igitur CORPORIS uirtuti & ROBORI illorum, qui digni habebantur, quorum uirtus populo Romano in ludis exhiberi posset, illud tributum est, ut absoluerentur infamia, in quam ceteroquin incurrere uisi sunt, qui artis ludicrae caussa prodiissent. Propter eandem sacrorum religionem etiam ATHLETIS, si corpus suffecerit, ut per omnem aetatem certarent, & coronis non minus tribus certaminis sacri merito ornati, non aemulis corruptis, ac redemptis, probarentur, ciuilium munerum, uacationem tribuerunt Imperatores l. un. C. de *athletis.* Haec ex jure SACRO corporis commodi & robusti priuilegia descendunt

XVI

PRIVILEGIVM CORPORIS ROBVSTI IVRE PRIVATO CIVILI ROMANORVM SPECIATIM CIRCA POSSESSIONEM

SED ad alteram studii nostri positionem transeundum est, quam IVS PRIVATVM appellamus. Contemplabimur ciuile illud judicium, quo de cujusque patrimonio lites exercentur. Poterat inhumanius uideri, ex uiribus corporis Romanos aestimare, cui palma forensis debeatur.

Nam

Nam ſic locutus, partibus factis, Leo:
Ego primam tollo, nominor quia leo.
Secunda, quia ſum FORTIS, tribuetur mihi.
Tum, quia PLVS VALEO, me ſequetur tertia.
Malo afficietur, ſi quis quartam tetigerit.
Sic totam praedam ſola improbitas abſtulit. (a)

Illud ferarum judicium eſt, a cultiſſimae poſt hominum fere memoriam gentis ingenio, & praeceptis, alienum. Ex rerum enim argumentis definiendum eſt, quid quisque uideatur jure poſtulare. Illum, ex Romanis legibus, ſeruamus ordinem judiciorum. Sed priusquam de cauſſa cognoſcatur, ſubinde etiam VIRIBVS CORPORIS locus eſt, ut rectius deinceps de IVRE poſſit conſtitui. Ipſa uetus IN IVS VOCATIO non nihil uiolentiae continet: praecipitque Lex Decemuiralis: SI CALVITVR PEDEMVE STRVIT, MANVMENDO IACITO. Adeo res in certamen uirium, & irarum, adducta eſt, priusquam in judicium perueniretur. Ni MANV ſuperaueris, quem in jus uocabas; grauior diſceptatio inſtabat. Sed haec talia luculentis multorum commentariis illuſtrata ſunt. De POSSESSIONIS IVRE deliberemus. Videntur enim ejus commoda, & quaeri CORPORIS VIRIBVS ſubinde, & defendi. FACTI enim eſt poſſeſſio, docente VLPIANO l. XXIX. D. *de acquir. uel amitt. poſſ.* corpore & animo obtinenda. l. VIII. D. *eodem tit.* Sed etiam, juſta, an injuſta ſit, nihil refert: qualiscunque enim poſſeſſor hoc ipſo, quod poſſidet, melius jus habet, quam qui non poſſidet, leg. II. D. *uti poſſidetis.* Imo uero, qui nolit in fundum reuerti, quod uim majorem uereatur, amiſiſſe poſſeſſionem NERATIO, & PAVLLO, l. VII. D. *de adq. v. amitt. poſſ.* uidebatur. Ne ſit locus dubitationi, addit etiam CAIVS l. XV. D. *eod. tit.* quod rem, quae nobis ſurrepta ſit, perinde intelligamur non poſſidere, atque eam, quae

(a) Phaedrus L. I. c. 5.

ui nobis erepta eſt: ex quo ratiocinatur VLPIANVS L. XXIX. D. *eod. tit.* etiam pupillum, ſine tutoris auctoritate poſſeſſionem poſſe amittere, ut corpore deſinat poſſidere. Etſi uero, quam VI aduerſarius ACQVISIVIT, VITIOSA eſt POSSESSIO, locumque facit interdicto: ſenties tamen non nihil incommodi, quod ipſi non reſtiteris, etiam corporis uirtute. Sed poſſeſſionem VI EREPTAM, ſi in ipſo congreſſu VI recuperes, IVLIANVS praecipit L. XVII. D. *de Vi & V. A.* in priſtinam cauſſam te reuerti potius, quam VI POSSIDERE intelligendum eſſe. Majus eſt, quod ſi quis IMBECILLITATE impeditus non uenerit ad prohibendum, non uideatur aduerſarius VI FECISSE. Ita enim LABEO reſpondit teſte VLPIANO: Leg. I. §. 10. D. *quod ui aut clam.* Igitur prodeſt tua IMBECILLITAS aduerſario; meliusque illis conſulitur, qui etiam CORPORE ad defendendam poſſeſſionem, uimque prohibendam, ſuffecerunt. Haec forma judiciorum ipſa naturali ratione conſtituta eſt, ut ante cauſſae cognitionem, ex facto poſſeſſionis, quis petat, & a quo petatur, intelligi debeat: utque, qui ſuum ui defendere non potuit, quicquid ſua IMBECILLITATE amiſit, interdicto recuperet; aut, quod prohibere non potuit, de illo in jure contendat. Hoc natura CORPORIS VIRIBVS beneficium tribuit. Cujus neceſſitatis ueteres adeo non pudebat, ut illius rei quaedam imago in ipſis VINDICIIS ſit conſeruata. Nam petitor fundi, quem SVVM ESSE ajebat, aduerſarium, EX IVRE, uocabat MANVM CONSERTVM (a) & aduerſarius ſubinde petitorem reuocabat, donec lis de poſſeſſione eſſet expedita

XVII

PRIVILEGIVM CORPORIS IN IVDICIO CRIMINALI QVIRITIVM

NEFAS igitur habetur, propter ſolam CORPORIS VIRTVTEM cum alterius quemquam injuria creſcere, aut pri-

(a) Gell. Noct. Att. XX. 9. Cic. Or. pro Mur. c. XII. & pro A. Caecin. c. XIX.

priuatum compendium augere. Rectius ex CORPORIS VTILITATE poenas, & supplicia aestimaueris, ut quae cuique conueniant, atque ad Reipub licae usum inprimis accommodata sint, cognoscas. Neque enim omnes ex aequo puniendi; sed praecipit CLAVDIVS SATVRNINVS: Ex persona sumendum esse modum supplicii: aliter ex iisdem facinoribus seruos, aliter liberos puniri, l. XVI. §. 3. D. *de poenis*: & addit VLPIANVS: esse quaedam discrimina poenarum: nec omnes eadem poena affici solere, l. VIII. §. 11. D. *de poen.* Nec uero caret ratione, 1eos, quos reipublicae, propter cujus emolumenta poenae inprimis constitutae sunt, VTILES cognoscas, benignius tractari, illosque in necessitates alias reseruari, aut eam in illos poenam constitui, quae & reipublicae commoda esse possit, & sensum supplicii in animis delinquentium relinquat. Hinc, cum ceteri in metalla condemnentur, VLPIANVS IVNIORES, qui CORPORE inprimis VALEANT, in LVDVM VENATORIVM, aut in aliam quam uoluptatem, gesticulardi, aut aliterse mouendi, gratia damnandos esse censuit l. VIII. §. 11. D. *de poenis*. quod & satis supplicii continere uidebatur, & spectantibus esse jucundius, qui ipso calore juuentutis delectantur; praeterea & juuentutis miserationi conueniebat, dare illis locum ostendendi uirtutem suam, & subinde ueniam merendi. Parum ab illa ratione discedit, quod etiam AD BESTIAS DAMNATIS, si ejus ROBORIS uel artificii sint, ut digne populo Romano exhiberi possint, spem quandam mitioris sententiae proponi uideamus. Censet enim MODESTINVS, non quidem fauore populi dimitti, sed de illis tamen Principem consuli debere. l. XXXI. pr. D. *de poen.* Qua se lege cuidam fabro, cui manus amputanda esset, ueniam impetrasse DYNVS ICTVS gloriatur. Cogitabam deserere hunc locum. Sed meretur obseruari, quod uisa fuerit quibusdam CORPORIS CONFIRMATIO etiam ad innocentiae opinionem faciendam profuisse: In quaestionibus inprimis. ARCADIVS enim CHARISIVS

Leg. X. §. 5. D. *de quaest.* auctor est, plurimum in excutienda ueritate, etiam VOCEM ipsam afferre, ex ipso sermone, &, qua quis constantia, qua trepidatione, aliquid diceret, duci argumentum. Sed credi potest VOCEM, magis ANIMI, quam CORPORIS, VIRTVTE confirmari; quamuis & haec interdum iudici imponat. Hoc certius est, MENDICANTIBVS ex CORPORIS uirtute non nihil commodi accessisse. In illis enim & INTEGRITAS CORPORIS, & annorum robur, exploratum est. L. un. C. de *mendic. ualidis.* Ita Imperatores constituunt: & seruos, qui nulla DEBILITATE miserabiles fuerint, proditoribus addicunt: Liberos subinde colonorum perpetuorum jure censeri. Sic & coercetur inertia, & reipublicae CORPORIS VIRES accommodantur, denique & mendicantium utilitati consulitur. INFIRMIORVM, in tanta hominum multitudine, uix tunc ratio poterat haberi. His legibus, in criminali inprimis judicio, CORPORIS VIRES aestimantur

XVIII

PROCERITAS GERMANORVM

MITTAMVS Quirites, atque ex diuerticulo in PATRIAM redeamus. Mirabimur majores nostros, qui & Romanis terribiles fuerunt, & hostium etiam subinde uocibus praedicati (a) sunt: quod INGENTI essent MAGNITVDINE CORPORIS, incredibili uirtute, & exercitatione in armis: omnes, in tanto hominum numero, eodem habitu corporum, & naturae: (b) trucibus & caeruleis oculis, MAGNIS CORPORIBVS; aut, si strictiores sint artus, quod CATTIS (c) accidit, certe tamen DVRIORIBVS MEMBRIS, uultu minaci, animo uigentes, mirifice ad uirtutem, & percellendos animos illorum, cum quibus congrederentur, a natura comparatos: praeterea non tantum ad impetum ualidos, aut laboris, atque operum, impatientes, quod TACITO secum

(a) Caes. de bell. Gal. I. 39. (b) Tac. de mor. Germ. c. 9. Veget. de re M. I. c. 1. (c) Tac. de mor. Germ. c. 30.

cum ipso interdum dissensiones exercenti, & praeterea a MELA confutato, uisum est; sed maximis animis, & utramque partem exercitantes, bellando animos, CORPORA assvetudine laborum. Enim uero, quod a natura ipsis tributum, educandi artibus & disciplina, atque usu omnis uitae, confirmarunt. Quippe remoti a deliciis, quibus animi franguntur, in omni domo nudi, in ILLOS ARTVS, ILLA CORPORA, excrescebant, quae ad miraculum proponebantur: (a) quorumque formam, & cultum, ex Cluverio, antiquas fabulas imitante, in calce Dissertationis expressimus. SVEVI inprimis lacte & pecore uiuebant, multumque in uenationibus uersabantur: quae res, & cibi genere & quotidiana exercitatione, & libertate uitae, VIRES alebat, & INSIGNI CORPORVM MAGNITVDINE efficiebat. (b) Placuit illud SVEVIS mirifice, atque ita arrisit, ut caussam gratulationis in illa re quaererent, & opinionem uirtutis, cujus admiratione sibi praerogatiuam in bellis datam esse arbitrantur, IVSQVE IN PRIMA ACIE PVGNANDI. Ita enim audias in *Iure Prouinciali Alemannico* Cap. XXXI. n. 4. 6. de se gloriantes: **Kunig Karl verleeh den Swaben / wo man durch des Reiches Not striten soll / da sulen di Swaben vor alle Sprachen striten. ꝛc. Dis Recht / und andre Recht / haent die Swaben verdient / mit ihre Frumekeit.** Incertum uidebatur, quid illa laude, **der Frumekeit** inprimis, SVEVI praedicarent. Sed obseruat SCHERZIVS, illa uoce fortitudinem & robur indicari, atque ex Chronico quodam Alsatico confirmat, **Frum** & **mächtig**/ sermone ueterum, conjungi: **vor Gottes Geburth was Strasburg klein / und doch Frum und mächtig**

XIX

PRIVILEGIVM CORPORIS IVRE PVPLICO GERMANORVM

NON ALIENVM erat a bonae mentis, & rationis, officio, in illa parte perficienda, elaborare GERMANOS, in qua ipsius

(a) Tacit M. Germ. C. 20. (b) Caes. B. Gall. IV. c. I. n. 8. 9.

us naturae beneficio, mirifice confirmati uidebantur. Hinc neglectiores INFIRMI, & debiles: GLORIA ex CORPORIS, & animi VIRIBVS quaesita: Domus & penatium curam foeminis, & senibus, & INFIRMISSIMO cuique ex familia, delegabant. (a) ROBVSTI & confirmati, in republica uersabantur, in qua uix quidquam publicae, vel priuatae, rei nisi armati peragebant. (b) Sed arma sumere non ante cuiquam moris erat, quam ciuitas corpore SVFFECTVRVM probauisset. Tum in ipso concilio uel Principum aliquis, uel pater, uel propinquus, scuto frameaque juuenem ornabant. Haec toga hic primus juuentutis honos: ante hoc DOMVS PARS uidebantur, mox REIPVBLICAE. Hactenus TACITVS. Vides Germanos ex CORPORIS, atque artuum, CONFIRMATIONE, jus adeundi ad concilium, IVS etiam SVFFRAGII FERENDI, quaesiuisse. Deprehendes etiam apud nostros moris antiqui uestigia. Equites **wehrhaftig machen** appellant. (c) Nec postea ipsis spes alia expeditior dignitatum, & honorum. Ornatus armis adolescentulus, ceteris ROBVSTIORIBVS, ac jam pridem probatis, aggregatur. (d) In conciliis considunt armati: mox Rex, uel Princeps, prout AETAS cuique, prout Nobilitas, prout DECVS BELLORVM, prout facundia est, (e) uerba faciunt: ut ausim affirmare, PRAEROGATIVAM IN COMITIIS ROBORE CORPORIS quaesitam. Nec posteri ab instituto multum discesserunt, seruantissimi homines morum patriorum. Vt a MAGISTRATIBVS ordiamur, quorum studiis regitur status imperiorum, atque ciuitatum; in IVDICE praeter animi uigorem & fidem, etiam CORPORIS INTEGRITAS, quaesita. Audiamus ALEMANNOS Iure *Prouinciali Alemannico* Cap. LXVIII. n. 2. 6. 7. 10. praecipientes: **An dem Richter soll der Dinge keines seyn / die wir hie nennen 2c. Er soll auch nit lame sin / an Handen und Fusen / Er soll auch nit blind sin. Schwel-**

(a) Tacit. M. Germ. c. XV. (b) idem c. XIIII. (c) Beyer. Sp. Iuris Germ. l. 3. (d) Tacit. M. Germ. c. XIII. (e) Tacit. l. c. C. XI.

welches der Dinge eines an dem Richter ist / der mag mit Recht nit Richter gesin. Et paucis interjectis n. 16. Er soll auch starck sin / daß er sin Hertz also bestercke / daß es dem Leibe nimmer gerat / das wieder Recht sie; und ists / daß das Hertz krancken Mut gewinnt / so sol der Leib also starck sin / daß er dem bösen Mut wiederstände. Et porro: Er soll auch also starck sin / daß er Leib und Gut wage / daß er das Recht beschirme. Ex quibus locis intelligitur, non solum exclusos mutilos, & mancos, & aegrotos, ab officio magistratus; sed etiam CORPORIS ROBUR ad augendam uim animi, compescendam cupiditatem, defendendum jus, fasque, Germanis necessarium uideri: ne quid, dum necessitati IMBECILLITATIS parendum est, ab officio bonae mentis judices discedant, aut INFIRMITATE neruorum fracti, aut sangvinis calore concitati, aut segnitie oppressi, parum memores sint humanitatis: ne cedant potentioribus, aut animos demittant, cum facinorosorum improbitas coercenda uideatur. Ex *Juris Weichbildici Glossatore* (a) intelligitur, eadem usos prouidentia, & circumspectione, SAXONES in IUDICIBUS deligendis. Er soll kein natürl. Gebrechen an ihm haben / als Maselsucht / taub / stum / blind / Krüpel &c. denn diese Sachen hindern einen jeden an der Kür. Sed crucem fixit Glossator interpretibus, incertis, quid morbi, illa uoce Maselsucht / notauerint majores, quod judicibus impedimento esse possit: Alii EPILEPSIAM, alii LEPRAM, quaesiuerunt. Sed diluit dubitationem edita Judaeis, in calce IURIS WEICHBILDICI, formula jurisjurandi: Daß mich die Maselsucht bestehe / die Naeman verließ / und Jetzi ankam / ut incertum esse non possit, LEPRAM a Saxonibus indicari. Credebant igitur, gentis dignitatem, illorum, qui praesint reipublicae, dignatione, & conspectu, inprimis commendari. Hinc nec circa REGEM & IMPERATOREM deligendum, atque in exploranda CORPORIS VIRTUTE, minor

ipsorum

(a) ad Art. 43. p. 66. a.

ipſorum ſolertia. Einen lahmen noch auſſätzigen Mann ꝛc. mag man nicht zum König machen / der König ſoll auch frey / edel / und ehelich gebohren ſeyn / und ſoll ſein Recht auch behalten haben L. R. l. III. Art. 54. Placebat enim Saxonibus REGIS ſe etiam exemplo excitari ad uirtutem. Vt intelligas conſenſiſſe in illa re Germanos, accipe idem etiam ALEMANNORVM LEGIBVS ſanciri. Creditur enim, quod utrorumque legibus conſtitutum eſt, moribus gentis uniuerſae eſſe comprobatum: Ita Alemanni: Lame und Mieſelſüchtig Man / und die in dem Banne ſin / die ſullen die Fürſten nit ze Kunige Kieſen. Kieſen aber die ſie / die andern Fürſten verwerffen ſie wohl mit Recht. Item etiam alio loco: Wenn man ze Künige erwehlt / der ſoll ſin Recht behalten haben / als hie geſchrieben iſt / von den Richtern / wie die ſuln ſin / ſo man ſie wehlet. *Jur. Prov. Alem.* C. VI. n. 6. Dederunt operam ſcriptores, ut hujus juris quaedam in ipſa AVREA BVLLA, ueſtigia deprehenderent. Haec ita rem definit: (a) poſtquam Electores ſeu nuncii ciuitatem FRANKENFORDENSEM ingreſſi fuerint, ſtatim ſequenti die, diluculo in Eccleſia S. Bartholomaei Apoſtoli ibidem, in omnium ipſorum praeſentia, Miſſam de S. Spiritu faciant decantari: ad finem, ut ipſe S. Spiritus corda ipſorum illuſtret &c. Quatenus ipſi ſuo fulti praſidio hominem IVSTVM, BONVM, ET VTILEM eligere ualeant, in REGEM Romanorum, futurumque Caeſarem, ac pro ſalute populi Chriſtiani. Hactenus Imperator. Sed ipſi Electores tali fidem formula jurisjurandi obſtringunt: Ego Princeps Elector juro ad ſancta DEI Euangelia, hic praeſentialiter coram me poſita, quod ego per fidem, qua DEO & S. R. I. ſum adſtrictus, ſecundum omnem diſcretionem, & intellectum meum, cum DEI adjutorio, eligere uolo temporale caput populo Chriſtiano, id eſt Regem Romanorum in Caeſarem promouendum, QVI AD HOC EXISTAT IDONEVS. quis

(a) Aurea Bulla. Cap. II. §. 13.

Incertum est, quis ab Imperatore VTILIS, quis, in jurisjurandi formula, IDONEVS ad IMPERIVM, dicatur. Poterat uideri VTILIS Candidatus Imperii, quem a Justo & bono Imperator distinxerit, ex habitu CORPORIS & uirtute; sed IDONEVS ex ingenio, & sapientia, & copiis facultatum, ditionumque amplitudine, esse nominatus. Hoc enim discrimine uerborum VTILIS & IDONEVS subinde, ipsis legibus Romanis, sejunguntur: quod supra est a nobis comprobatum. Sed noli existimare, hominem SACERDOTEM, legum Romanarum subtili cognitione, Caroli IV. aetate inprimis, certe non imbutum, a quo, quicunque is demum fuerit, conscriptam esse AVREAM BVLLAM, ipsum fere prooemium, illorumque temporum mores, insigni argumento comprobant, tantum studii in uerbis deligendis collocasse, aut rem momenti insignis obscuritate sermonis, uocumque quibusdam inuolucris, obtexisse; ut VTILEM ex CORPORE, IDONEVM ex animi uirtute, appellaret. Nugae sunt, & quisquiliae, quae ad illustrandum hoc argumentum, in quo dignitas imperii, & salus tot gentium, uersatur, a quibusdam interpretibus Iuris afferuntur: quas LIMNAEVS facto quodam aceruo (a) conquisiuit, atque in unum corpus contulit. VTILITAS imperii, ex conditione temporum, cognationum, possessionumque, aestimanda est: Ejus enim necessitati modo major Imperatorum potentia, modo adstrictior, salutaris est: non ex CORPORIS MOLE, aut ARTVVM ROBORE, aut commoda STATVRA judicanda. Ne prisci quidem GERMANI a REGE CORPORIS VIRTVTEM, & armorum scientiam, aut exercitationem, desiderarunt. REGES enim, si TACITVM (b) audias, EX NOBILITATE, non ex uirtute corporis; DVCEM uero, qui praesit exercitui, & jussu Regis imperata perficiat, EX VIRTVTE SVMVNT. Ex quibus rebus intelligitur, illorum aliquid, quae supra ex Saxoni-

G cis

(a) Ad l. c. A. B. Obs. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. (b) Tacit. de Mor. Germ. cap. 7.

cis legibus adducta sunt, forte ex ingenio, & simplicitate, Colctorum enatum fuisse: non ex moribus gentis, aut consensione Germanorum. Sed desiderantibus corporis in Imperatore proceritatem potest illud opponi, quod Lacedaemoniis in mentem uenit, cum de Agesilao Rege Spartanorum deliberarent. (a) Ille enim quamuis maleficam nactus naturam uideretur, staturaque esset humili, corpore exiguo, claudus altero pede, & a nonnullis propter deformitatem contemneretur: (b) praetereaque Delphicum oraculum injiceret animis solicitudinem, quo denunciabatur finis futurus Imperii, cum Regium claudicasset imperium; tamen & Agesilaum ipsi Regem acceperunt, & ducem sociis dederunt, postremoque statuerunt, melius esse, Regem incessu, quam imperio regnum, claudicare. Vix attinet praeterea Heinrici II. pede claudi (c) Philippi, Alberti I. (d) multorumque corporis imbecillitate, & morbis uariis uexatorum, exempla adducere, qui ante Auram Bullam imperii rebus praefuerunt. Nec dubitari potest, Carolum IV. qui IVSTVM, BONVM, ET VTILEM, eligendum esse praecipit, justitiam & bonitatem in animi uirtute, VTILITATEM uero, non in CORPORE, sed in aliis uiribus, quae pro conditione temporum, & imperii necessitatibus, aut magnae, aut exiguae, prodesse possunt, quesiuisse. Sed apertius de PRINCIPVM ELECTORVM HEREDIBVS in ipsa A. B. constitutum: (e) Primogenitus filius succedat in Electoratibus, sibique soli jus & dominium competat; nisi forsitan mente captus, fatuus, SEV ALTERIVS FAMOSI, ET NOTABILIS, DEFECTVS EXISTERET, PROPTER QVEM NON DEBERET, SEV NON POSSIT, HOMINIBVS PRINCIPARI. In quo casu, inhibita successione, secundogenitum, si fuerit in ea progenie, seu alium seniorem fratrem, uel consanguinem lai-

(a) Nepos. Agesil. 8. (b) Iust. Hist. L. IV. 2. (c) Schveder. Introd. ad. I. Pub. P. Spec. sect. 1. c. 2. p. 197. (d) Lehm. Chr. Spir. VII. c. I. p. 709. Pfeffing. ad Vitriar. L. V. §. 5. p. 415. (e) A. B. tit. 25. §. 3. 4

lacum, qui paterno ſtipiti, in deſcendenti recta linea, proximior fuerit, uolumus ſucceſſurum.

FAMOSI, ET NOTABILES DEFECTVS propter quos primogenitus nec DEBEAT, nec POSSIT, hominibus principari, a multis minus recte intelliguntur, Vetus interpres Viennenſis ita reddit: Er würe dann nit by Sinnen/ odir ein Dor/ odir eines virmertin minglichis gebreſtin/ von deßwegen er nit ſulte/ noch mochte/ über die Lude ein Furſte geſin. Audis FAMOSVM DEFECTVM in ſenſus incurrentem, hominum ſermone celebratum, & frequenter, obſeruatum. Ein kundbar beruffen Gebrechen appellari. Non eſt hujus loci inquirere, qui ſint illi DEFECTVS, ex quibus quis non DEBEAT hominibus praeeſſe. Quidam enim interpretes de DELICTIS primogenitorum imperatorem ſentire cenſuerunt. Quorum opinioni ſi quis locum relinqueret, quam credis naſcituram materiem diſcordiarum, & litium, & diſſenſionum? Quando tam bene cum quoquam principe actum iri credis, ut nihil omnino criminis comminiſcerentur Clerici? Aut, ut nemo, partium ſtudio, accuſationem primogenito intenderet, qui ad obtinendum imperium adſpiraret? Manifeſtum eſt, FAMOSORVM, ET NOTABILIVM, DEFECTVVM appellatione non quaſcunque offenſiones contineri. Hereditas Electoratus quibusdam BANNO IMPERII adimitur: in quod qui incurrit, fruſtra de ſucceſſione ſperauerit. Si igitur propter DELICTVM amouendus eſt primogenitus, de illo intelligi debet, propter quod BANNVM IMPERII timere poſſit. Sed non caret dubitatione, utrum illo, quem adduximus, loco cogitauerit Imperator de primogeniti DELICTIS. Ergo uideamus de DEFECTIBVS, qui ſint impedimento, quo minus primogenitus POSSIT imperare? Non uidetur Imperator, quamcunque INFIRMITATEM CORPORIS notare, niſi illam, quae ſubinde etiam animum perturbet: auocetque a cognitione rerum, atque arte imperandi; Hi SVNT FAMOSI, ET NOTA-

BILES DEFECTVS, propter quos omnino qui NON POSSIT administrare rempublicam. Ceteri, quamuis cum incommodo conjuncti ſint, obſtare uix poſſunt, quo minus partes imperantium cum laude ab heredibus adimpleantur. Neque opus eſt, ut harum rerum uel rationes, uel exempla, ex TIRAQVELLO (a) THOLOSANO (b) IOA. BODINO (c) BESOLDO (d) KECKERMANNO (e) MOLINA (f) LVDOLPHO (g) atque aliis ſexcentis (h) repetamus. Quamuis enim malorum, quae etiam magnam fortunam afficiunt, & perturbant, miſeratio animum attingat, & uix permittat, ut ad incommodum, a natura principibus heredibus allatum, etiam detrimentum, & jactura Electoratus, adjungatur: praeterea periculum turbarum, & diſſenſionum, ſine quibus lites de ſucceſſione uix componi poſſunt, non nihil illa, quae a nobis dicta ſunt, confirmare uideantur; tamen illis rationibus non indigemus: & ſufficit, ipſa A. B. uerba tollere omnem cauſſam dubitationis. Quae ſi etiam obſcura eſſent, tamen ex ipſo conſilio, & fine, tam manifeſtam interpretationem acciperent, ut locus diſputationi eſſe non poſſet. Bene ſperandum eſt de illis, quos naſcendi conditio, & fortuna, deſignauit ad obtinendum imperium a parentibus acceptum: Difficile eſt probatu, ita quemquam a CORPORE LABORARE, ut hominibus, quod ait Imperator, principari non poſſit. Credendum igitur, atque animo praeſumendum eſt, POSSE imperio praeeſſe ſucceſſorem, niſi grauibus, inuictiſſimiſque, argumentis objecta impotentia oſtendatur, atque confirmetur. Hoc eſt, quod propter DEFECTVS FAMOSOS, atque NOTABILES, duntaxat primogenitum filium excludat Imperator. Quod

(a) Tiraquellus d. Jur. Primog. qu. 23. 24. (b) Tholoſ. d. Republ. L. VII. Cap. 6. (c) Bodin. Lib. VI. de Republ. cap. 5. (d) Beſold. de reg. ſucceſſ. c. 2. (e) Keckerm. Lib. I. Polit. c. 4. (f) Molin. d. Primog. Lib. I. c. 9. (g) Ludolph. d. Jur. Primog. Part. ſpec. §. 16. n. 32. 33. (h) Conſule Arniſaeum Lib. II. Polit. cap. II. ſect. 8. Dn. a Rusdorff, in Vindic. Palatinis. cap. 4. n. 8. 9.

Quod argumentum luculentis atque eruditissimis Commentariis ab ILLVSTRI ICTO DN. PETR. A LVDWIG (a) illustratum est. Rex ANIMVS imperat, & CORPORIS commendatione non indiget. Qui praesunt imperiis, consilio, prudentiaque, & rerum gestarum gloria, satis sibi splendoris, atque ornamenti, constituunt: quod si CORPORIS quadam augustiori VIRTVTE amplificetur, atque efflorescat, & in oculos hominum incurrat: si habitus oris, & membrorum confirmatio, prodat majestatem aspicientibus, & uenerabilem faciat; omnia illi summa atque amplissima consecuti sunt, quibus regia fortuna continetur

XX

PRIVILEGIVM CORPORIS IN IVRE PRIVATO GERMANORVM.

DE IVRE PERSONARVM

DE IVRE PVBLICO dictum est satis: Deinde de PRIVATO uideamus, atque a IVRE PERSONARVM ordiamur, ut possit intelligi, unde enata sit illa accusatio: GERMANOS IVS IN VIRIBVS HABERE. (b) POSTHVMVM VIXISSE, posteaquam a matre editus est, conuenit, si illum heredem rerum paternarum uelis appellare. Sed VIXISSE illum, ex CORPORIS ROBORE, & artuum confirmatione, Germani collegerunt. Ita *Ius Prouinc. Sax.* Lib. I. Art. 33. Wenn es lebet nach des Vaters Tod, so werden die Lehn und Gedinge des Herren, die er iemand am Guth geliehen hätte, wieder loß und ledig, ob das Kind beweist wird, und besehen, also groß / daß es leibhafftig möcht seyn. Igitur magis de partu imperfecto, utrum uixerit, subinde dubitatum. Trita sunt, quae de audito uagitu circumferuntur. CORPORIS indicio etiam PVBERES, etiam MAIORES, judicati sunt Germani. Mitto, quae *Speculi Sax. Auctor* circa hoc argumentum philosophatus est. Id probabile uidetur ad fidem, si annorum numerus iniri non potuerit, ex CORPORE indicium acceptum L. R. Lib. I. Art. 42. Welches Mannes Alter man nicht weiß, hat er Haare am Bart 2c. Man soll wis-

(a) Vollständige Erläuterung der G. Bulle Tom. II. Tit. 25. §. 3. p. 478 & 480. (b) Mela III. 3.

wissen, daß er zu seinen Jahren kommen ist. Luculentum est TACITI testimonium (a) non arma cuiquam sumere moris fuisse, quam CIVITAS, corporis forte indicio, SVFFECTVRVM PROBAVISSET.

Nec dubitationi est locus TENERAM aetatem, non solum propter fragilitatem judicii, sed etiam propter CORPORIS INFIRMITATEM, tutoribus regendam jure feudali inprimis commissam esse: ob wohl ein Kind zu seinen Jahren zu Lehn-Recht kommen ist, sein rechter Vormund soll ihn doch an seinem Guth vorstehen, zu seinem Gewerb, und seinem Herren des Kindes statt nach seinen Recht dienen, dieweil es ihm selbst nicht erkennen kan, seiner Thorheit, und Kindheit halber, oder wegen **Unkrafft seines Leibes.** Haec ex statu naturali descendunt. Deueniamus ad ciuilem: atque de FAMILIIS, & cognationibus, curatius dispiciamus. Supra accepisti, CVRAM DOMVS atque penatium foeminis, senibusque, atque INFIRMISSIMO cuique in familia, fuisse delegatam. (b) Praeterea etiam PATRIA POTESTAS, illa severior, soluta est, cum civitas IVVENEM SVFFECTVRVM ARMIS cognouisset: ante hoc enim adolescentulus pars domus uidebatur, *mox reipublicae.* (c) Vides EMANCIPATIONIS necessitatem propter VIRES FILII parentibus imponi. Ex quibus moribus descendit, quod & nostri homines, SEPARATIS RATIONIBVS PRIVATIS, & constituta sede fortunarum, exeant e parentum potestate. Sed haec attigisse sufficiat & quasi digito indicasse

XXI

IVS RERVM.

DE ACQVIRENDA HEREDITATE

PORRO de jure rerum dicendum est, quae longior disputatio ui letur. Statim occurrit textus *Iuris Provinc. Saxon.* Lib. I. Art. 4. qui possit interpretatione indigere. Hereditate enim excludit filios VITIO CORPORIS INSIGNES. Subsistamus ad ipsa legis uerba: Auf **allzuviel/** und gezwerg, und dergl. untüchtige Leute, **stirbet** weder Lehn noch **Erbe/** noch auf Krüppel-Kinder. welche dann ihre Erben sind, und ihre nechsten Freunde, die sollen sie halten in ihrer Pflege ꝛc. Wird auch ein Kind gebohren stumm, sinn-oder witzloß oder

(a) Tac. d. M. G. c. 13. (b) Id. c. 13. (c) Id. c. 13.

oder blind, oder sonst unvollkömmlich an seinem Leibe, das ist wohl Erbe zu Land-Recht, aber nicht zu Lehn-Recht. Der außsätzige Mann empfähet gleicher weiß auch kein Lehn, noch Erbe. Dubitatum, qui sint illi, quibus propter NIMIVM aliquid, a natura tributum, hereditas negatur: auf allzu viel: Glossa latina: allzu viel HERMAPHRODITOS interpretatur: incerto argumento. Vix enim credi potest, cum ne MVTI quidem, & CAECI, excludantur a ciuili hereditate, HERMAPHRODITIS hereditatem extorqueri, qui rebus suis superesse possunt sine incommodo, sine offensione ciuitatis. Hoc enim differunt HERMAPHRODITI a reliquis OSTENTIS. Dicam, quid mihi uideatur. Credo, MONSTRA, atque OSTENTA, & PRODIGIA, quae oculis hominum molesta sunt, & rebus agendis defungi non possunt, quibus HERMAPHRODITI omnino comparari nequeunt, inuisa Saxonibus fuisse: Vt, uisu uel uagitu noua, non humanae figurae, sed alterius magis animalis: qui ne jure Quiritium quidem liberorum loco habebantur. L. XIV. D. *de statu hom.* & Leg. 135. D. *de verb. sign.* aut visiones, aut QVAE TRIBVS FORTE MANIBVS, AVT PEDIBVS, CONTRA NATVRAM NASCANTVR: aut in quibus MEMBRORVM HVMANORVM OFFICIA cum insigni dedecore, & deformitate naturae, AMPLIATA sunt. Hanc speciem extremam NIMIVM quid a natura accepisse, adeo manifestum est, ut illam nomine allzu viel a Saxonibus notari, dubium esse vix possit. Contra, quibus NEGAVIT aliquam partem parcior natura, aut membra pervertit, Krüppel-Kinder appellantur, Ceteri communi nomine INVTILES, untüchtige Leute, dicti sunt. Hi igitur non potiuntur rebus suis, nec de parentis hereditate disponunt: Seu, quod idem est, manent in suorum perpetua tutela: qui tantum ipsis, quantum necessitas postulat, pro modo facultatum, largiuntur: cetera bona, sine rationum reddendarum necessitate, in sua commoda conuertunt. Lepide ad hanc locum Glossator: Dieses geschieht um des willen, damit sie forthin nicht mehr ihres gleichen mißrathene Kinder zeugen. Certius est ostenta, ideo exclusa, quia paucis omnino rebus indigere uidebantur. Sed INSIGNE dedecus, & infirmitatem, SPECVLVM desiderat, quae sit impedimento, ut quis res suas administrare NON POSSIT. INVTILES enim, untüchtige Leute/ ceteris

ceteris debilibus, die unvollkömmlich an ihrem Leibe/ opponuntur. Hi, quamuis uiribus fracti sint, tamen in allodiis succedunt, perinde atque furiosi, & mente capti, & muti, & qui lumine oculorum orbati sunt, exclusis monstris, prodigiis & ostentis. Ita enim Lib. I. Art. 4. *Iur. Pr. Sax.* traditum esse intelleximus. Wird ein Kind gebohren stumm, oder witzloß, oder blind, oder sonst unvollkömmlich an seinem Leibe/ das ist wohl Erbe zu Land-Recht. Sed subit mirari cur furiosos ostentis praetulerint, & plus juris dederint illis, qui ANIMO NON VALENT, quam his, qui CORPORE INFIRMANTVR. Videlicet hoc praestant furiosis, quod de his non spes omnis abjicitur, soletque accidere, ut resipiscant aliquando, atque cum dignitate in republica uersentur. Quod si non eueniat, parum ab ostentis differunt Jure Germanorum: cum ne ipsi quidem utantur rebus hereditariis, aut illas in alios transferre possint testamento.

Dimitterem HEREDITATES. Sed adjiciendum est illud: etiam inter SANOS, qui AETATIS PRAEROGATIVA commendetur, illi ex REBVS EXPEDITORIIS praecipuum GLADIVM deberi. W B. Art. 25. Nec *iure Prov. Alemann.* Cap. XXVII. n. I. aliter constitutum est; ut intelligatur, illud moribus gentis uniuersae conuenire. Non difficile fuerit caussam scrutari. Praeferendus enim uidebatur, quem ciuitas & PRIVS, & POTIVS, SVFFECTVRVM ARMIS PROBAVISSET

XXII

PRIVILEGIVM CORPORIS ROBVSTI CIRCA ALIENATIONEM RERVM

GERMANOS igitur ex INTEGRITATE CORPORIS, utrum quis HERES esse possit, aestimasse, expositum est. Sed fac tamen, acquisitam esse hereditatem; sed postea frangi corporis uirtutes atque infirmari. Dubitatum est, an prosit hereditas, & possit in alios transferri, A DEBILIBVS & INFIRMIS? Intelliges Domino res suas, & hereditatem, quam semel acquisivit, inuito quidem extorqueri non posse. Hoc enim *Iur. Prov. Sax.* Lib. I. Art. 4. constitutum est: Wird er darnach siech/ er behält es, und vererbet es auch, als ein anderer Mann. Sed monendus es, heredem NE VOLENTEM QVIDEM, res suas in alios transferre posse, praeterquam

quam in LEGITIMOS HEREDES; aut cum uenia heredum. Es mag ein Mann sein Eigen nicht vergeben, binnen Weichbild, denn in gehegtem Ding, und **mit der Erben Urlaub.** W. B. Art. 61. vergiebt er es aber wieder Recht, **ohne der Erben Laub**/ die Erben mögen sich ihres Guths wohl unterwinden, mit Recht, als ob der todt wäre, der es gab, darum, daß er es nicht vergeben möchte. L. R. *Lib. I. Art. 52.* Formulam, qua de illa re judex respondebat IVS VVEICHBILDICVM seruauit Art. 20. So findt man ihm zu Recht; daß er sein eigen vergeben soll, **mit der Erben Laub**/ als ob es **Erbe**, oder **gabhafft Guth** ist, daß ist daß es nicht **unbeerbt**, oder **umgabhafft Guth** sey, also, daß er es gekaufft habe um sein Geld, dann so mag er es geben, wem er will, ohne iemandes Widersprechen. Habes alienationis prohibitionem, sed quæ tantum impedimento sit, ne RES HEREDITATE aut DONATIONE acceptae, **Erbe, oder gabhafft Guth**, sine uenia heredum transferantur. Hoc in Saxonia Electorali de solis AVITIS BONIS, **von Erb-Stamm-Güthern**, ex interpretatione usuali acceptum est, & *Const. El. Sax. P. 2. C. 12.* approbatum. Nam inhumanum uidebatur, in tanta ueterum paupertate, SVIS hereditatem subtrahere, ad quam nascendi jure uidebantur peruenisse. SVI ENIM CVIQVE LIBERI HEREDES. (a) De rebus emptis, atque ab ipso donatore acquisitis, **bey unbeerbtem und umgabhafftem Guth**/ liberior potestas. Pariter etiam in MOBILIBVS hereditate acquisitis: Sola enim IMMOBILIA alienari non possunt sine uenia heredum. Alle **fahrende Haabe** giebt der Mann wohl **ohne Laub der Erben**; und lässet und verleihet sein Guth L. R. Lib. I. Art. 52. MOBILIA igitur ex hereditate residua, & res ab ipso donatore ACQVISITAS, nihil obstat, quo minus quis posset libere donare, da mag er geben **bey gesundem Leib**/ wem er will, ohne iedermanns Ansprache. W. B. Art. 61. Dixi nihil obstare alienationi mobilium, & immobilium bonorum, quae ab ipso donatore adquisita sint. Sed monendum est, ualere donationem, si res suas SANVS & CORPORE INTEGER, atque etiam ROBVSTVS, alienet. Nec temere enim additur: **bey gesundem Leib.** Sed hoc, quale sit, ex *Iur. Prov. Sax.* intelligemus. Pergit enim Auctor speculi L. R. L. I. Art. 52.

und

(a) Tacit. M. G. c. 20.

und lässet, und verleihet sein Guth, allein, daß er sich also vermöge/ daß er begürtet mit einem Schwerdt, und mit einem Schild, auf einen Roß kommen möge, von einem Stein, oder Stock, einer Daum-Ellen hoch, ohne Hülffe also, daß man ihm das Roß und den Steig-Reiff halte. **Wenn er das nicht thun mag, so mag er sein Guth weder vergeben, noch verlassen, noch gleiben.** Cognoscis bona etiam aliunde, quam ex hereditatibus, quaesita, imo & mobilia, non promiscue donari, sed illo tempore duntaxat, cum quis CORPORE VALERET, & integer in republica uersaretur. Tunc enim non patiebantur eripi liberorum cogitatione omnem sibi bene faciendi potestatem. Hoc ex ROBORE commodum habebant. Ita omnibus GERMANIS uisum est. Audiamus ALEMANNOS. *Iur. Pr. Alem.* C. XXII. Alle die weile, als ein Mann mit einem Schwerdt sich begürthen mag, und auch einem Roß mit Schild und Sper gesitzen, und man ihm setzet einen Stock zu dem Rosse, der einer Daumen Ellen hoch ist, und man soll ihm den Steig Reiff halten, und er eine Meile geritten mag, so mag er haben und gethun, mit seinem Gut, als ob er 40. Jahr alt wär. (a) Dubitaueris forte quem ligni uel lapidis modulum illa uoce, Daum Elle, indicari existimes, quod interpretes uexauit. Plurimi Daum, lingua ueteri, idem quod nostra, uocem halb, notare arbitrantur. Daum Elle, halbe Elle. Sed obseruat SCHERTZIVS ad locum a nobis adductum, ex ueteri Codice: Daum Elle ist, daß man den Daum vor die Elle setzen soll. Haec lapidis altitudo accepta est. Sic poterat ab EQVESTRIS DIGNITATIS hominibus VIRTVS CORPORIS & ROBVR comprobari. Nec BVRGENSIVM, aut RVSTICORVM, imbecillitati, aut FOEMINARVM desidiae, quicquam indulgeri uideas. Burgensibus equus remittitur, sed VIRTVS CORPORIS desideratur, ut ualeant donationes. Ita VVEICHBILDI GLOSSATOR tradit ad Art. XX. Beweiset ein Bürger solche Krafft daß er gegürtet komt mit einem Schwerdt, ohne Mannes Hülffe, und sich männiglich beweise, also daß er das Schwerdt selber ziehe, und einstosse, so theilt man ihn mächtig seiner wohlgewonnen Habe, zu geben, wem er will. Ein Bauer beweiset seine Krafft, daß er einen Umgang seinem

(a) Beyer Spec. Jur. Germ. l. II. c. 11. Glossator W. l. 1. Art. 52.

nem Pflug gefolgen mag, eines Morgens lang, so hat die Gabe Krafft, von Rechtswegen. Gehet ein Weib zu der Kirchen ohne Männl. und Weibl. Hülffe, die vor der Kirche gesessen ist 200. Ruthen lang, so mag sie das Ihre vergeben, von Rechtswegen. Und ob sie selber zu Dinge kommt, und also lang stehen mag, biß man die Gabe bestätigt, so ist sie mächtig, das ihre zu vergeben V. R. W. Adeo etiam in foeminis VIRTVS quaedam desiderata est; uidelicet, ne se multum extra casus maritorum, & cogitationes uirtutum esse putent, quod TACITVS affirmat. (a) AEGROTI enim uxor & maritus eodem jure censebantur. Kein Mann und kein Weib mögen im Siechbett ihres Guts ichts vergeben, daß über 5. Schilling werth sey. W. B. Art. LXV. *Addit Glossator*, oder also viel, als er mit der Hand begreiffen mag, an seinen bereitem Gelde. Luculentius apparet, hunc morem per omnem Germaniam uagatum, cum BEYERVS (b) etiam Lubecenses parum ab illo Jure abesse obseruet. Ita enim Lubecenses Lib. I. tit. 10. Hat ein Mann wohl gewonnen Guth, der mag damit seines gefallens gebahren, so ferne er zu Wege und Stege geht, und seiner Sinne und Gliedmassen mächtig ist. Et specialiori statuto: Vom Lübischen Vogtey-Recht: Wenn ein Mann so redl. ist seiner Sinnen, und mächtig seiner Glieder, daß er ein Marck-Pfund lödiges Goldes haaben und bören kan, von einer Städte auf die andere, so mag er sein wohl gewonnen Guth geben, wem er will. Sed haec ita jure ueteri constituta sunt. Hodie etiam AEGROTORVM donatio rata est, quod CARPZOVIVS obseruauit: (c) forte legibus Quiritium commotus. Illo enim jure SENECTVS ad faciendam donationem sola non est impedimento l. XVI. C. de *Don.* Olim certe secundum Germanorum jura a SCABINIS pronunciatum esse, SENTENTIARVM FORMVLAE IVRI VVEICHBILDICO ADIECTAE argumento sunt: Dieweil auch euer Bruder seeliger rc. Zeit seines Lebens ohne Stab auffs Rathhauß gegangen rc. so ist solche Gabe gnugsam zu Recht beständig (b) & alio loco: hat W. seiner Dienerin, um Dienstwillen, demnach sie ihm denn sein Hauß und Erbe viel Jahr versorget, ein Haus gekaufft, und vor dem Lehns-Herrn ihr das bey gesundem Leibe und guter Vernunfft gegeben, so folgt solch Hauß, und was er ihr gegeben

(a) de mor. Ger. c. 18. (b) Beyer l. c. (c) Carpzou. parte. II. const. 12. defin. 11

ben hat, derselbigen billig. (a) Sed constitutio Elect. XII. part. 2. euitat illas ambages, & abscisse : Wie dann aus eben dieser Ursache, das Sachßen Recht, so von unbeweglichen Güthern redet, auf die beweglichen nicht zu erstrecken. Igitur mobilia hodie etiam ab AEGROTIS recte donabuntur

XXIII

PRIVILEGIVM CORPORIS ROBVSTI CIRCA VLTIMAS VOLVNTATES ET PROVOCATIONEM

HAEC inter uiuos gerebantur: restat, ut de illis, quae MORTIS CAVSSA suscipi solent, dispiciamus. Sed haec fere Germanis incognita, quibus heredes, & successores, SVI cuique LIBERI fuerunt, (b) nulla testamenta: quae postea demum artibus Clericorum ad nostros peruenerunt. Vix de illis quidquam legibus antiquis sancitum est, quod possit ad hoc argumentum pertinere. Sequiori aetate COLONIENSES statuerunt : Wer einig sein Erbe binnen der alten Mauren, in unserer Stadt, in Testamenten, oder Vermächtnissen, vergeben oder besetzen will, der soll ungehalten, und ungeleitet, sieben Füsse lang gehen, als das von alters gewöhnlich gewesen. Vix quicquam aliud inueneris, quod alicuius momenti uideatur. Discederem igitur a CIVILI IVDICIO, nisi me ipsa IVDICIORVM FORMA, & inprimis PROVOCATIO, teneret. Haec etiam rectius illis successit, qui CORPORE VALEBANT. Saxones enim, cum judicis sententia non probaretur, subinde etiam ARMIS contenderunt. Dreyerley Recht behielten die Sachsen wider Carolus Willen 2c. Das dritte, daß man kein Urtheil, so Recht vor Gericht bey den Sachsen finden mag, will es der Sachse schelten, und zeihet er es an seine rechte Hand zu Kampff, oder an die meiste Mennig, und ficht uns das Urthel selb sieben, wer die mehre Mennig hat, und den Sieg, der hat das Urthel behalten L. R. Lib. I. Art. 18. Sed alio loco adjectum est, umb ein Urthel mag man nicht fechten, denn vor dem Reich. Schilt ein Schwabe eines Sachsen Urthel; oder ein Sachß eines Schwaben, das müssen sie entscheiden vor dem König

(b) Urtheil und Recht-Sprüche in den hochber. Schöppen-Stühlen, da man sich Sächß. Recht gebraucht in calce Jur. Weichb. p. m. 112. (c) Tac. m. g. c. 20.

König. L. R. Art. 12. Eadem fere *Iur. Prov. Alem. Art. 383. n. 6.* constituuntur. Sed hujus rei culpam SVEVI in SAXONES conferunt. Ex quo loco animorum disjunctio, & dissensiones, quae inter utramque gentem intercesserunt, cognoscuntur. Tam late uagata est foeda superstitio, Clericorum artibus, in Germania nutrita, & tanto cupidius arrepta, quanto magis ingenio Germanorum armorum certamen conuenire uidebatur: hac tandem aetate sapientissimis praeceptis deuicta atque dissipata

XXIV

PRIVILEGIVM CORPORIS IVRE FEVDALI GERMANORVM

ADDENDVM est aliquid de FEVDIS. Sed circa Longobardica illa non occupabimur, quae ab aliis studiose tractata sunt, & a PRAESIDE alio loco illustrata. De CONSVETVDINIBVS GERMANORVM aliquid adjiciemus, apud quos & serius certis legibus definita, sed propter VIRTVTEM CORPORIS, atque armorum, & expectationem seruitiorum, inprimis constituta. Igitur diligentius Vasallos, quam rerum aliarum possessores, quaesiuerunt. Cum furiosos, caecos, mutos, mente captos, INFIRMOS, allodialium rerum heredes esse paterentur, a feudis ipsos excluserunt. Das ist wohl Erbe zu Land-Recht, aber nicht zu Lehn Recht. *Iur. Prov. Sax.* Lib. I. Art. 4. Vt agnoscas moderationem animi, & miserationem, qua etiam Germani subinde commoti sunt; benignius cum illis actum est, qui cum INTEGRI feudum acquisiuissent, casu & injuria fortunae in MORBVM inciderunt. Man mag auch niemand sein Lehn nehmen darumb, ob er blind ist, oder aber eines Glieds darbet, noch umb keinerhand Seuche. *Iur. Feud. Sax. Cap. 30.* Cum SAXONIBVS etiam reliqua GERMANIA consentit. Ita enim *Iur. Feud. Alem. Cap. 63.* traditur: ein Herr mag seinem Mann sein Lehn nicht genehmen, noch verzeihen, ob er blind ist, oder eines Glieds mangelt, oder Müselsuchtig wurt, oder was Such-Tagen er gewinnet. Placet SCHILTERO, (a) quod ne illum quidem, qui NATVRALI HOC VITIO, priusquam feudum acquisiuerit, debilitatur, hoc jure a feudo excludi uideamus; praefertque in illa causa SAXONIBVS ALEMANNOS. De uitio enim naturali nihil adjectum est, propter quod Vasallos, Iure Saxonico, arceri a feudis intelleximus. Sed uidetur SCHILTERO ipsi naturae esse conueniens, quod illis, qui-

 bus

(a) Schilter Comment. ad l. c. Jur. F. Allem. p. 254. n. 2.

bus, nascendi sorte, jus succedendi in feudum tributum est, sine suo facto, propter naturae parsimoniam, feudum extorqueri non possit. Sed huic dubitationi PRAESES alio loco occurrit. Si rem ex caussis aestimes, propter quas feuda constituta sunt, intelligis, rectius SAXONES, quam ALEMANNOS, praecepisse

XXV

PRIVILEGIVM CORPORIS ROBVSTI IN IVDICIO CRIMINALI GERMANORVM

DISTVLI ad extremum locum CRIMINALE IVDICIVM, cum nomine perhorrescendum, tum mirifice Clericorum quondam disciplina, & superstitionibus, corruptum atque perturbatum. Non diu te tenebo. Copiosius de illo argumento ab aliis explicatur. Vt ab ipsa IN IVS VOCATIONE ordiamur; qui uocatus non uenerit, ab accusatore deprehensus, INIECTA MANV, abripitur atque ad judicem adfertur. Er mag ihn wohl mit Recht angreiffen, ohn den Gerichts-Bothen I. P. A. Cap. CCLXVII. n. 1. Haec non sine exemplo constituta sunt. Sed illud ferri non potest, de crimine objecto, auctoribus ipsis adeo judicibus, subinde etiam ARMIS DIMICATVM, inprimis, de fracta pace publica, de factis uitae insidiis, de perduellione, de rapina. I. P. A. CCCLXXXV. n. 6. 7. 8. 9. Item Weichbild Art. XXXV. Inprimis facinorum suspicionem, in quibus quis ab ipso accusatore deprehensus, & cum clamore, ac uociferatione, in judicium adductus est, ueteres **handhaffte That** appellant, nisi septem testibus conuictus esset, reus dimicatione diluebat. L. R. I. a. 66. Er soll die Unschuld entreden mit einem Schild, und mit einem Schwerdt. W. B. *Art. 35.* Cui insaniae tantum abest, ut judicis grauitas obstaret, ut juberet etiam descendere in campum, ut etiam arma daret, ut socios adjungeret, ut arbitros constitueret. Der Richter soll auch geben ein Schild und ein Schwerdt, den man beschuldiget, ob er es bedarff. Der Richter soll zween Bothen geben, ihr iegl. die da fechten sollen, die da sehen, daß man sie bewahr nach rechter Gewohnheit. Congressis bene precati sunt. VICTVM armis REVM, quasi diuino judicio damnatum, poena & suppliciis affecerunt: VICTOREM ab accusatore etiam praemium uirtutis accipere jusserunt. Sic etiam infamibus, & furti accusatis, re furtiua apud ipsos deprehensa, jus dictum

dictum est. Wår aber der Wirth vor besprochen gewesen, also daß er Rechtloß wår, so mag er sich des auf den Heil. nicht entreden, sondern er muß das glůend Eisen tragen, oder sich des mit Kampff erwehren. W. B. A. 90. oder in einen wallenden Kessel greiffen. biß an den Ellen-Bogen, quod Auctor Speculi Saxonici adjecit. L. R. Lib. I. Art. 39. Vides jus quodam tempore apud GERMANOS VIRIBVS CORPORIS quaesitum. Sed caue, indigneris bene merenti patriae, &, si quaequam alia, innocenti. Non tam suo ingenio in illam temeritatem prolapsa est, quam seducta a sacerdotibus, qui tanto facilius fidem inuenerunt, quanto accommodatior esse Germanorum uiribus uisa est illa disciplina. Et si cui populo ignosci oportet, quod obtemperauerit illis, qui Dei immortalis judicium explorari armis posse tradiderunt; tanta belli gloria fuit majoribus, ut cum armis contendi posse de ueritate audirent, tanto hoc ipsi arriperent cupidius, quanto magis illa uirtute Germani ultra plerasque gentes eminerent. Neque enim soli in illum errorem inciderant: sed contagio moris peruersi, quo tota quondam fere Europa infecta fuit, attingebantur. Postquam detectae sunt fraudes, & Gloriosissimorum Principum legibus damnatae, & correctae; nulla respublica nec bonis exemplis ditior habetur, nec obsequentior sapientissimis praeceptis

